

Mortaria varia , ænea, ferrea, plumbea, lapidea, & vitrea.

Phialæ , vulgò Phiolæ vitreæ diversæ magnitudinis.

Retortæ varii generis simplices , & tubulatæ.

Sublimatorium , cum suis ollulis.

Torcular.

Varia denique vitra , ut Infundibula, Matracia, Campanæ, Pelicani , pleraque alia vasa diversæ magnitudinis , quæ in officinis inveniuntur.

## C A P U T VIII.

### DE OPERATIONIBUS PHARMACEUTICIS *usualibus , & earum descriptionibus.*

**C**um operationes Pharmaceuticæ diversæ sint , diversis etiam vocibus explicantur , quare in Tyronum gratiam non abs re erit earum naturam breviter describere.

**ACUERE** , seu **ACUTIO** : est cum menstrum debile alio fortiori vigoratur , ut extractio, sive solutio perfectius fiat, veluti cum acetum addito spiritu nitri, vitrioli, aut altero acerrimo acuitur. Cathartica, etiam nonnunquam vigorantur; cum debilioribus aliquis stimulus, v. g. Diagridium, vel Colocynthis additur.

**COAGULATIO** : est humoris in quacumque re externa, vel interna privatio.

**CALCINATIO** : est conversio corporum in calcem , seu pulverem subtilissimum : hoc fit , vel actualiter per ignem, vel potentialiter per spiritus corrosivos : quæ fit per ignem, subdividitur in **COMBUSTIONEM**, **INCINERATIONEM**, & **REVERBERATIONEM**.

**COMBUSTIO** : est calcinatio partium animalium ut ossium , cornuum , aut unguularum , usque ad albedinem, quæ instituitur , cum omnino, exhalantibus oleosis, salinis

linis particulis, vim absorventem in ipsis prævalere optamus.

**INCINERATIO**: est calcinatio corporum, qua vegetabilia, & animalia, igne vehementi, in cinerem reducuntur.

**REVERBERATIO**: est calcinatio corporum igne flammeo in furno reverberatorio, ut flamma, super dicta corpora reflectendo, undequaque ea lambat.

**CALCINATIO POTENTIALIS**, quæ etiam dicitur **CORROSIO**, & **SOLUTIO** mediis salibus corrosivis fit, & etiam juxta varios operandi modos infra se continet, **AMALGAMATIONEM**, **COEMENTATIONEM**, SEU **STRATIFICATIONEM**, **FUMIGATIONEM**, **VAPORATIONEM**, ET **PRÆCIPITATIONEM**.

**AMALGAMATIO**: est calcinatio Auri, & Argenti, aut alterius metalli, permisto Mercurio, cum quo ferè omnia intimè incorporantur. Amalgama enim, seu massa, aut aggregatum resultans ex mixtione, imponitur crucibulo, & ad auras, fugiente Mercurio, Aurum, vel Argentum sub specie pulveris in fundo manet.

**COEMENTATIO**: est metallum in laminas deductum, & stratum super stratum cum cœmento in crucibulo ad ignem aliquandiu imponere, ut calcinetur, sicque perfecta metalla ab aliis ignobilioribus liberentur.

**FUMIGATIO**: est metallorum, medio Mercurii fumo, in pulverem reductio.

**VAPORATIO**: est Saturni, Martis, aut Veneris, per aceti seu spiritus nitri vaporem, in pulverem (ut ex plumbo fit Cerussa) conversio. Ossa aut cornua animalium aquæ vapore calcinantur, & hæc calcinatio Philosophica dicitur.

**PRÆCIPITATIO**: est minimarum particularum, in aliquo liquore solutarum, per idoneum alium liquorem, ad fundum deturbatio.

**CIRCULATIO**: est alicujus liquidi, per circularem distillationem in Pelicano, vel Alembico cœco exaltatio.

**CLARIFICATIO**: est succi, vel decocti crassioris à fœcibus purificatio, quæ, addito ovi albumine, plerumque fit.

CON-

**CONGELATIO** : est materiæ liquidioris in massam solidiorem, ad instar glaciæ condensatio.

**INSPISSATIO** : est tenuiorum partium ( v. g. tincturatum, succorum, decoctionumve, &c.) evaporatio, ut reliquum in massam tractabilem redigatur.

**COHOBATIO** : est cum liquor distillatus, suo residuo iterum infunditur, & iterum distillatur.

**COCTIO** : est liquorem, mediante ebullitione, virtutibus medicamenti coquendi, imprægnare.

**CONQUASSATIO** : est vegetabilia succulenta, vel recentes fructus, ad succum extrahendum, pistillo, moderatè contundere.

**CRIBATIO** : est tenuiorum particularum à crassioribus, cribri alicujus ope, segregatio.

**CRYSTALLISATIO** : est cum liquor salinus cujuscumque generis, auxiliante evaporatione, donec crusta in superficie appareat, in loco aliquo frigido, reponitur, ut sal in forma crystallina subsideat.

**DECANTATIO** : est transfusio liquoris puri supernatantis per inclinationem in aliud vas, ut à fœcibus liberetur.

**DECREPITATIO** : est muriatica salia vase ferreo prunis super imponere, donec partes aquosæ evanescant, & non amplius crepitent.

**DELIQUATIO**, aut **DELIQUIUM** : est reductio alicujus corporis in liquorem, medio aere in loco humido.

**DESPUMATIO** : est alicujus liquidi, ut syrupi, mellis, &c. à spuma supernatante purificatio.

**DISTILLATIO** : est partium aquosarum, vel oleosarum, vi ignis, in vapores conversarum, & guttatim deinceps condensatarum, receptio. Triplex distillatio datur. Prima, & communissîma dicitur, **RECTA**, aut per **ASCENSUM**, quæ perficitur per Cucurbitam, Capitello, seu Alembico superinstructam; secunda, **OBLIQUA**, sive **AD LATUS** appellatur, fitque per retortam ex arena igne nudo: tertia dicitur per **DESCENSUM**, & hæc in officinis non est in usu.

DE-

**DETONATIO** : est sulphurum cum nitro permistorum deflagratio : igne enim admoto , pyrii pulveris instar, cum nitro & fulgure impetuosè exiliunt.

**DIGESTIO** : est alicujus corporis , blando calore , dissolutio , ut partes utiles leniter ab idoneo menstruo extrahantur , inutilisque præcipitentur.

**DISSOLUTIO** : est corporis solidi , per idoneum solvens , in liquorem reductio.

**DULCORATIO** : est corporum calcinatorum , & salibus imprægnatorum , cum aqua detersto , ut sal aqua immisceatur , & calcinata dulcia fiant : item cum calcinata , acido corrosivo imbuta , spiritu vini affuso ( prædicto spiritu , postmodum ignito , vel evaporato ) dulcificantur : item cum spiritus acidi , nitri , salis communis , sulphuris , vel vitrioli , spiritu vini permisti , postquam effervescaant , dulcorantur. Dicimus etiam dulcorari potiones , cum adjecto saccharo , aut opportunis Syrupis , gustui gratiores redduntur.

**EFFERVESCENTIA** : est motus subitaneus ortus ex concursu duorum corporum , poros & meatus mutuos occupantium.

**EVAPORATIO** : est humoris aquosi in vaporem conversi , calore debito separatio.

**EXTINCTIO** : est lapidum candefactorum in aqua immersio , donec friabiles evadant.

**EXTRACTIO** : dicitur , cum substantiam puriorem alicujus misti ab impura , medio menstruo proportionato , elicimus.

**FERMENTATIO** : est motus intestinus partium activarum mistum componentium , propter mutationem ad aliud , unde alia est perfectiva , aliaque corruptiva.

**FILTRATIO** : est cujuscumque liquidi per chartam emporeticam colatio , ut partes puræ à terrestribus secernantur.

**FIXATIO** : est fugitivæ alicujus materiæ detentio , quæ fit , plerumque cum volatilibus particulis corpus ponderosius adjicimus.

**FUSIO**, seu **LIQUATIO** dicitur, cùm metalla, aut mineralia, igne vehementi, liquida facimus.

**GRANULATIO**: est cùm metallum, jam liquidum in aquam frigidam, per vas perforatum injicimus, ut granulatim condensetur.

**IMBIBITIO**, aut **IMPRÆGNATIO**: est rem sive corpus liquore aliquo per vices humectare.

**INAURATIO**, & **ARGENTATIO**: idem est, ac foliis auri, vel argenti pilulas obducere.

**INCISIO**: est dum herbas forfice; ligna, cortices, radices, aliaque duriora cultello secamus.

**INFUSIO**: est suavi, & digestivo calore, in liquore idoneo, virtutis medicamentorum extractio.

**IMPASTATIO**: dicitur, cùm species, vel pulveres aliquo viscido immiscemus, & subigimus, ut in massam redigantur.

**INSOLATIO**: idem est, ac radiis solaribus expositio.

**INSUCCATIO**: est, quando Aloe, v. g. succo rosarum, vel violarum imprægnatur, aut nutritur.

**LÆVIGATIO**: est cùm solida, & asperiora corpora, super porphyritem, per se, vel liquore aliquo madefacta, conterimus, ut in impalpabilem pulverem redigantur.

**LAVATIO**: est rem liquore aliquo diluere, & à fordibus liberare.

**LIQUATIO** idem est, ac fusio, & non solum convenit metallis aut mineralibus; sed etiam oleosis, resinosis, aut pinguedinosi.

**LIMATIO** idem est, ac corporum duriorum in particulas comminutio.

**LUTATIO** dicitur, cùm vasa vitrea, aut eorum juncturas, & rimas luto, vel viscido aliquo contegimus.

**MACERATIO** nihil aliud est, quàm vegetabilium contusorum, & in aliquo liquore infusorum, per tempus in loco frigido repositio.

**MALAXATIO** appellatur, cùm emplastra convenientibus oleis manu, vel pistillo conquassamus, ut massæ instar tractabilia sint.

**NUTRITIO**: est augmentatio medicamenti, mistione, mediante imbibitione, insuccatione, vel alia simili operatione facta.

**PRÆCIPITATIO**: est, quædam minimarum particulærum, in liquore convenienti solutarum, mediante alio liquore affuso, subsidentia, & reviviscentia.

**PRÆPARATIO** idem valet, ac Lavigatio, superiùs descripta.

**PULVERISATIO** appellatur, cùm rem siccam, in minutissimas particulas mortario conterimus.

**PUTREFACTIO**: est digestio quædam fermentativa, substantiam rei, calidi externi accessione, præstantiorem producens, dissolvensque.

**RECTIFICATIO** idem est, ac reiterata distillatio ad majorem liquorum exaltationem instituta.

**REDUCTIO**, seu **REVIVIFICATIO**: est metallorum ab acido corroforum, medio alkali, acidum absorvente, in pristinam formam restitutio.

**SUBLIMATIO**: est subtilium particularum alicujus corporis sicci, vi ignis, ascensus, ita ut sublimibus, superioribusve vasis parietibus adhæreant.

**TORREFACTIO** dicitur, cùm in sartagine, aut patella igni superposita, medicamenta agitamus, ut humore suo leviter, mediocriter vel omnimode priventur, prout oportuerit.

**TRITURATIO**: idem est ac Pulverisatio nuper explicata.

## C A P U T IX.

DE PRÆPARATIONIBUS, ET CORRECTIONIBUS  
 quorundam Medicamentorum  
 usualium.

ADIPUM, SEU PINGUEDINUM, AXUNGIARUM,  
 Medullarum, & sevi præparatio.

**A** Dipes, seu pinguedines, medullæ, &c. excissæ exemptis venulis, fibris, & aliis impuritatibus, ac in mortario marmoreo conquassatæ, lento liquentur igne, tunc colentur, posteaque recondantur.

## ALOE S LOTIO.

Aloes, vel succotrina, vel hepatica, si pura, heterogeneis non sit permixta corporibus, lotione haud indiget; cum verò in hisce Aloes speciebus evenire soleat, ut una pars pura, alia denique impura sit, pura sine lotione asservetur; impura verò in aqua fontana, igne digestivo dissolvatur, dein filtretur, & balnei vapore ad consistentiam solidam inspissetur, sive reducatur.

## ALOE S NUTRITIO.

**R**ECIPE Aloes succotrinæ purissimæ, vel ejus defectu hepaticæ lotæ, & subtiliter pulverisatæ, q. v. reponatur, in vase terreo vitreato, cui superaffunde succi rosarum rubrarum, vel pallidarum, depurati q. s. ut fiat instar pultis liquidioris: tunc in Sole, vel super cineres calidos exiccetur; terque hoc iteretur: massa tandem usui servetur, & Aloe rosata vocatur; si autem loco succi rosarum, violarum superaffundatur succus, Aloe violata dicitur.

## ALUMNIS USTIO.

**R**....Alumnis rochæ, q. v. indatur vasi novo figulino non vitreato, & igne imposito, aduratur, donec ampullas amplius non emittat.

## ASSELLORUM PRÆPARATIO.

Afelli, seu Mille-pedes à fordibus prius mundati, vino albo abluantur, deinde exiccati, usui reponantur.

## BOLI ARMENÆ PRÆPARATIO.

Cùm Bolus Armena, suo sale centrali (sicut, & quælibet terræ species) sit imprægnata, ejus virtutes augere, quàm manifestè deprimere convenientius erit; idcirco rore majali, aqua nivis, aliove liquore convenienti eam diluere, & per decantationem, liquorem, partibus subtilioribus onustum, separare, ac deinde ad Solem, vel lentum ignem exiccare: sic alia præparatione opus non erit, quàm quòd ab heterogeneis, si quæ sint, particulis, reiterata dilutione, liberentur.

## CHALCITIDIS PRÆPARATIO, PRO

Theriaca.

**R**... Vitrioli viridis q. v. in vase terreo, aliquandiu, igne communi calcinetur, ad humiditatis superflue evaporationem, donec in massam cinericiam reducatur.

COLCOTHARIS PRÆPARATIO, SEU VITRIOLI AD  
rubedinem calcinatio.

**R**... Vitrioli q. v. in vase terreo non vitreato, igne moderato exiccetur, deinde igne forti calcinetur, usquedum vitriolum in calcem rubicundam convertatur.

## COLCOTHARIS EDULCORATIO.

Colcothar prædictum aqua communi abluatur, donec tota asfuginitas, & acrimonia fuerit absumpta, deinde exiccetur, usuique servetur: sicque præparatum, Crocus Martis adstringens est, & TERRA VITRIOLI DULCIS in officinis vocatur.

## CORNU CERVI USTUM.

**R**... Cornu Cervi in frustra, seu lamellas, ex distillatione spiritus residuas, vel crudas q. v. vasi figulino imponantur, & in fornacem ad albedinem urantur, igne aperto, deinde  
pul-



pulverifentur, & in lapide marmoreo, aqua rosacea super aspersa, lævigentur, & in pastillos exiguos redigantur, exiccantur, & usui tandem ferventur.

Similiter præparatur EBUR, & SPODIUM vocatur.  
CORNU CERVI CRUDI PRÆPARATIO.

Crudum autem Cornu Cervi in scobem tenuissimam reducitur, pulverisatumque aqua rosacea irroratur, ut fiat Pasta, quæ exiccata, & iterum pulverisata cum eadem aqua in massam redigatur, tandemque denuò exiccetur, pulverifetur, idque ter, vel quater repetatur, & ad usum reponatur.

Similiter præparantur

Unicornu.

Ebur.

Rhinocerontis cornu.

Apri dens.

Mandibula Piscis Lucii.

Cranium hominis, & similia.

CALCINATIO CORNU CERVI PHYLOSOPHYCA.

**R**... Cornu Cervi in majora frustra secti q. v. coquantur in S. q. Aquæ fontanæ, donec mollescant, postea medulla à cortice exteriori nigricante, cultro separetur, & cornua albicantia exsiccentur, pulverifentur, & usui ferventur.

Aqua vero à coctione remanens, post depurationem ulteriori coctura gelatinam exhibet.

JECORIS LUPI PRÆPARATIO.

**R**... Jecur Lupi in frustra incisum, & vino odorato lautum, in Clibano vel in Sole exiccetur, & absinthio obvolutum reponatur.

INTESTINORUM LUPI PRÆPARATIO.

**R**... Lupi intestina secundum longitudinem dissecta, ac vino, in quo ruta, & foeniculum incocta fuerint, elota, exiccantur, & ruta obvoluta, usui tandem ferventur.

## LACCÆ PRÆPARATIO.

**R**... Radicis arifolochiæ longæ, & ſchænanti ana unciam unam, bulliant ſimul in S. q. aquæ ad remanentiam libræ unius, coletur, colaturæque adde laccæ electæ parum fractæ uncias quatuor, decoquatur moderato igne, uſquedum purior laccæ pars ſupernatet, diſſolvaturque quidquid in ea laudabile ſit, & ſanguinei coloris aqua reddatur: tunc Lacca per inclinationem ab humiditate, & fordibus ſeparata, coletur, ac ſolis calore ſiccata, ad uſum fervetur.

Notandum tamen Laccam puram, & electam in Medicina præparandam non eſſe; partes enim formicarum in alveolis contentæ, & magis activæ in aqua diſſolvuntur: quare in compositionibus medicamentorum ſine lotionem, aut alia præparatione accipi debet.

## LAPIDUM PRÆPARATIO.

Pulverifa ſubtiliſſimè in mortario marmoreo lapidem, quem volueris (ex infrà aſignatis) deinde pulverem ſupra Porphyritem verſatili lapide, quem minutiſſimè, inter lævigandum, aqua convenienti paulatim aſperge, ita ut fiat inſtar maſſæ liquidæ; iterenturque lævigationes, uſquedum pulvis, dentibus nec unguibus percipiatur, ac veluti Alkoöl, non perſentiat, tandem formentur paſtilli in umbra ſiccandi.

Cinnabaris præparetur.....Cum aqua communi.

Corallia alba, & rubra.....Cum aqua roſacea.

Cryſtallus.....Cum aqua bugloſſæ.

Granatus.....Cum aqua roſarum.

Hæmatites.....Cum aqua plantaginis.

Lapis armenus.....Cum aqua roſarum.

Lapis aquilæ, ſeu ætites...Cum aqua portulacæ.

Lapis judaicus.....Cum aqua parietariæ.

Lapis lycis.....Cum aqua parietariæ.

Lapis magnetis.....Cum aqua communi.

Lapis nephriticus.....Cum aqua parietariæ.

Margaritæ, & Mater perlarum.Cum aqua roſarum.

Oculi Cancrī . . . . .	Cum aqua fragorum.
Ovorum putamina uſta. . . . .	Cum aqua parietariæ.
Saphyrus.	} Cum aqua roſarum.
Rubinus.	
Smaragdus.	
Sardus , ſeu Carneolus.	} Cum aqua betonica.
Succinum album, & citrinum.	
Topazius. . . . .	Cum aqua roſarum.

## LAPIDIS CYANEI, ſeu LAPIDIS LAZULI PRÆPARATIO.

Lapis electus prunis multoties ignitus, & aqua borraginis extinctus, ſubtiliſſimè tritus, aqua fontana lavetur; aqua per inclinationem effundatur, & ſupra porphyritem in pulverem impalpabilem cum aqua roſarum redigatur, ex eo tandem formentur trochiſci, & uſui ſerventur.

Similiter præparantur.

Cryſtallus.

Tuthia.

Lapis pumex.

Lapis Judaicus.

Lapis Calaminaris.

Lapis Lyncis.

## PULMONIS VULPIS PRÆPARATIO.

**R**... Pulmonem vulpis recentem (& extracta aſpera arteria) in fruſta diſſectum, multoties lava, & calore clibani lento exicca, abſinthioque involutum ad uſum ſerva.

## PRIAPI CERVI PRÆPARATIO.

Priapus Cervi, ſecundùm longitudinem in plures partes diſſectus, & aqua communi lotus, ac in clibano benè exiccatus, ad uſum ſervetur.

## PLUMBI USTIO.

**R**... Plumbi q. v. liqueſcat in vaſe terreo novo, cui iam liquefacto adde ſulphuris pulveriſati q. ſ. igne vehementi calcinetur, ſpatula ferrea illud agitando, donec in pulverem redigatur.

## SECUNDINARUM MULIERIS PRÆPARATIO.

Secundina Mulieris, maris primiparæ à membranis exterioribus mundata, & in aqua communi, multoties lota, in clibano calore blando exiccetur, & foliis Salviæ circumdata, reponatur ad usum.

**R...** SANGUINIS HIRCI PRÆPARATIO.  
Hircum non castratum, quem, diebus Canicularibus cornibus suspende, cruribusque ad cornua reflexis, testes abscinde, & accepto ex eis omni cruore exanguem pro Latione dimitte: sanguis sic collectus, & à parte serosa separatus, in Sole exiccetur, & servetur ad usum.

Alii verò HIRCUM decollant, sanguinemque manantem vase terreo vitreato accipiunt, & sero depuratum, exiccant, usuique reponunt.

## SCAMMONII CORRECTIO.

Variis modis corrigitur, & præparatur Scammonium, præsertim autem Cydoniatum sic paratur.

**R...** Scammonii Aleppensis, subtiliter pulverisati q. v. immitte in vas fictile vitreatum, cui superaffunde succi Cydoniorum q. s. ad consistentiam pultis liquidæ; deinde in B. M. vel calore lento, spatula continuo agitando, exicca; ut fiant trochisci usui servandi, sub nomine Diacrydii, & hæc autem operatio INSUCCATIO dicitur.

## SULPHURATUM SIC CONFICITUR.

Scammonium grositer tritum, & super chartam bibulam expansum, sulphuris fumo suffumigetur; studiosè tamen cavendo ne liquefcat: quare Scammonium, sinè intermissione commoveatur, & lentissimo calore sulphuris fumo imbuatur.

## GLYCYRRHISATUM DENIQUE SEQUENTI MODO præparatur.

**R...** Scammonii pulverisati, q. v. agita in mortario marmoreo sensim affundendo decoctum glycyrrhiæ fervens,

vens, donec lactescat, liquorem lacteum amove, & cum prædicto decocto procede ut dictum, ac repete, donec fœces nigricantes in fundo solum remanserint, postea liquores lacteos misce, & in B. M. aut lento calore evapora ad siccitatem.

Notandum verò, quòd semper ac in compositionibus Scammonium absolutè præscribatur, electum, & crudum imponi debeat.

## VIPERARUM PRÆPARATIO.

Viperæ, vere, & autumnò sunt capiendæ, tunc enim vivaces, pingues, crassæque existunt. Viperas, seorsim cum forcipe sume, & caput, collum, caudamque abscinde, non quòd veneni sint receptacula; sed quia carne prædictæ partes destituuntur; postea excoria eas, & exentera; pinguedineque seorsim ad alios usus seposita, earum truncos, corda, & jecinora in aere umbraque exicca, ac in vase claudio, locoque sicco ad usum repone.

Pinguedo autem lota, & lento igne liquefacta, statimque colata, in vase vitreo servetur: Capita denique, caudæ, interanea, & coria exiccentur, & ad distillationem spiritus, olei, ac salis volatilis viperarum custodiantur.

## PRÆPARATIO ALBI GRÆCI.

**R**... Albi Græci, seu stercoris canis exiccati (per aliquot dies ossibus nutriti) q. v. lavigetur supra marmor cum aquæ plantaginis quantitate sufficienti: formentur denique trochisci, qui exiccati, usui servantur.

Simili modo parari potest.

Stercor Pavonis. . . . . *Cum aqua pœonia.*

Stercor Anseris. . . . . *Cum aqua cicborii.*

## ÆRIS USTIO.

Æris bractæ immittantur in sicilem, interposito inter singulas æris lamellas salis communis, aut sulphuris pulvere, ut fiat stratum super stratum: hoc, medio igne, sufficienter uratur, & calx relicta, aqua calida sæpius affusa, edulcoretur. Hoc tamen inspecto, quòd si cum sale, vel nitro præparetur Æs, calx evadet rubicunda; è contra verò nigra, si cum sulphure comburatur.

Q

AMMO-

**R... AMMONIACI GUMMI DEPURATIO.**

Gummi Ammoniaci q. v. supèr affunde acetum vini acerrimum, lentoque igne dissolvatur, spatula sæpè materiam agitando, donec in lactescentem abeat liquorem, dein coletur calidè per linteum rarum, quod repetatur, donec à fœcibus omninò expurgetur; liquor denique lento igne evaporetur ad consistentiam extracti.

Eodem modo depurantur **BDELIUM**, **GALBANUM**, **OPOPONAX**, **SAGAPENUM**, & similia.

Gummi hæc dummodò pura sint, hac præparatione non indigent, quia partes eorum, magis activæ, & volatiliores per ebullitionem evanescent; pulverisatione verò utiliùs conservantur, exceptis illis medicamentis, & compositionibus, in quibus humiditates evaporare non decet; ut in Theriaca, Mitridato, & similibus.

Notandum: quòd semper ac Gummi Ammoniacum à Medicis in vino solutum præscribatur, pulverisetur primò in mortario lapideo, postea verò in vino, pistillo ligneo, continuò agitando, dissolvatur.

**ANACARDIORUM PRÆPARATIO.**

Anacardia pulverisata, in aceto acerrimo macerentur ad dies sex: deinde, mediante aceti imbibitione, lentè exsiccentur, & usui ferventur.

**ARI RADICUM PRÆPARATIO.**

Radices Ari optimè mundatæ, eodem modo, ut Anacardia præparentur, & usui ferventur.

**BUFONUM, ET RANARUM PRÆPARATIO.**

Bufones, vel Ranæ exenteratæ in umbra exsiccentur, & usui reponantur.

**CALCIS ABLUTIO.**

Calx viva in vase figulino, copiosæ aquæ affusione agitur; cumque Calx in fundo resideat, aquæ affusio multoties (pro arbitrio) repetatur, facta (singulis vicibus) per filtrum colatione, tandem aqua rosacea affundatur, quæ post  
lotio-

lotionem effundatur, Calxque relicta exiccetur, & ad usum fervetur.

### CANTHARIDUM PRÆPARATIO.

Cantharides nulla indigent præparatione, nisi sola pulverificatione.

CÆRUSSÆ LOTIO: an debeat fieri?

Cerussa lavari non debet, quia pars ejus subtilior in aqua dissolvitur.

### R... COCHLEARUM TESTARUM PRÆPARATIO.

Cochlearum oblongas testas, his affunde acetum distillatum, q. s. macera per noctem, ad extrahendam mucositatem, quam diligenter abrasas, exiccatas, postea pulveriscentur, & cum aqua Cardui benedicti supra marmor levigentur, formentur denique in trochiscos, qui cognominantur ANTI-FEBRILE CONCHARUM, vel FEBRIFUGUM CROLIANUM.

### CORIANDRI, ET CUMINI SEMINUM PRÆPARATIO.

Semina Coriandri, & Cumini, aceto acerrimo irrorantur, deinde exiccantur, & reponuntur. Antiqui crediderunt, semina Coriandri, & Cumini propter ipsorum acrimoniam venenosa esse. Experientia verò continuata contrarium docet, quare semina hæc alia præparatione haud indigent, quàm ut exiccentur, & reponantur.

### R... CHALYBIS CUM ACETO PRÆPARATIO.

Limaturæ Chalybis q. v. imponatur in vase terreo, & superaffundatur aceti vini acerrimi q. s. ut fiat instar pultis solidioris, tunc in loco calido exiccetur, postea massa pulverisetur, & sic septies reiteretur, dein supra marmor levigetur, & usui fervetur.

### R... CHALYBIS CUM SULPHURE PRÆPARATIO.

Limaturæ Chalybis, & sulphuris communis pulverisati partes æquales, misce, & cum aqua in pastam redige, quam in vase terreo, horis quatuor reponere ad fermentescendum, postea valido igne calcinetur, spatula ferrea indefinenter materiam agitando, quoadusque in Crocum rubrum redactæ

sint limaturæ , & usui serva: ab aliis verò sequenti modo præparantur.

Frustrum Chalybis oblongum igniatur sub folle , fortissimo igne usquequò de se scintillas undique spargat: tunc extrahatur ab igne integrum frustrum , & magdaleon sulphuris subito , & fortiter ei admoveatur , sic enim guttatim ambo liquata , decident in patinam aquæ suppositam , hic labor continuari debet , donec sufficiens granulorum ferri acquiratur quantitas ; deinde hæc pulverisentur grana , & in crucibulo calcinentur , ut sulphur omne deflagret , lavigetur denique pulvis , & usui fervetur.

#### ESULÆ PRÆPARATIO.

Cortices radicum Esulæ in aceto vini per viginti quatuor horas macerentur , postea exime , & sicca , ac ad usum reponere.

Simili modo præparantur.

Radices Ari.

Ellebori utriusque.

Et folia Laureolæ.

**R**... EUPHORBII CORRECTIO.  
Euphorbii puri , & pulverati , q. v. immite in Matratium , cui superaffundatur succi limonum optimè depurati quod sufficiat ad eminentiam quatuor digitorum , digere igne arenæ , identidem agitando , donec Euphorbium solutum appareat ; postea cola per linteum mundum , & B. M. vaporet ad siccitatem , ac serva ad usum.

**R**... HIRUNDINUM PRÆPARATIO.  
Pullorum Hirundinum deplumatorum , & exenteratorum , quos volueris , in Cucurbita vitrea , seu in vase terreo vitreato , leni balnei calore exicca , pulverisa , & ad usum serva.

Simili præparantur modo.

Ranæ.

Bufones.

Cancris fluviatiles.

Eri-



Erinacei.

Lumbrici, &amp; similes.

## SARCOCOLLÆ PRÆPARATIO.

**R**... Sarcocollæ electæ, grosso modo pulverifatæ, q. v. Lactis Mulieris, vel Caprini, q. s. irroretur, ut fiat pasta liquida, postea leni calore exiccetur, sicque servetur ad usum.

## SALIS AMMONIACI PURIFICATIO.

**R**... Salis Ammoniaci, q. v. solve in sufficiente quantitate Aquæ communis, filtra, dein vaporet solutio ad pelliculam, si cryсталlos volueris.

## SALIS NITRI PURIFICATIO.

**R**... Salis nitri, q. v. solve in aquæ sufficienti quantitate, solutionem filtra, vaporet ad pelliculam, dein pone in cella; ut in cryсталlos concreseat albas.

Simili modo præparantur.

Sal marinum.

Catharticum.

Vitriola.

Alumen, &amp; similia.

## SERUM LACTIS PARANDI MODUS.

**R**... Lactis Caprini, Vaccini, vel alterius animalis, recenter mulcti ℥. V. & ℥. iij. immitte in vas figulinum, admisce coaguli Vituli, seu Caprini, seu floris Cardui, prius ex aquæ cochleare uno, aut altero perfecte soluti ℥. ℥. vas coopertum colloca supra cineres calidos per aliquot horas, donec Lac dense coierit, serum decanta, & coagulum impone in setaceum equinum, ut serum uberius stillet, tunc serum omne per linteum mundum simul & iterum trajice, ut igitur limpium fiat, postea bulliat cum cremoris tartari ℥. ss. pro singulis feri libris: agitetur cum ovi albumine, & fiat colatura, quæ quidem si non sit perfecte limpida, per chartam bibulam trajiciatur.

## SCILLÆ PRÆPARATIO.

**R**... Scillam recentem (rejectis exterioribus, aridioribusque tunis) massa panis involve, & in clibano coque, quousque  
massa

massa cocta fuerit : exemptas laminas , sive tunicas filo trajice, ita ut una alteram non attingat , tandem exiccantur , & sicco loco ad usum reponantur.

#### TEREBINTHINÆ PRÆPARATIO.

Terebinthina communiter aqua convenienti lavatur, ob metum ejus acrimoniæ; certum autem est, sal ejus balsamicum, hac lotionem dissolvi : quare convenientius videtur ab hac præparatione abstinere : terebinthina in aqua ad duritiem decoquitur , dein formentur pilulæ usui servandæ.

Terebinthina cum vitellis ovorum mista cum quolibet liquore aqueo in mortario lapideo dissolvitur, & Terebinthina potabilis vocatur.

Simili modo Balsama quæcumque solubilia redduntur.

## C A P U T X.

### DE SUCCIS LIQUIDIS OFFICINALIBUS, *è Vegetabilibus.*

**V**egabilium succus est substantia quædam expressa ex particulis aquosis, salinis sulphureis, terrestribusque composita, quæ media aeris oppressione, & calore subterraneo augetur, ut è terra, per fibrarum radicum ora, nutritionis, auctiorisque gratia ascendens, totam per plantæ substantiam circuletur; modo eodem, quo sanguis aliaque fluida in animantibus.

Notandum tamen venit balsamum, oleum, resinas, & gummi, quæ ex se, artisve ministerio, è vegetabilibus exeunt, licet communiter Succis vocentur, nihil aliud esse, quàm quædam producta, sequestrata, sive à natura plantæ deposita extra corticem, tum propter motum intestinum particularum succum plantæ constituentium, tumque propter diversa ejusdem plantæ adaptata filtra.

Notandum est etiam, hic à nobis non attingi Succos, aut  
liquo-

liquores ex animalium familia, vel eorum partibus depromptos, neque eos, qui ex mineralibus deducuntur, neque quam plures è vegetabilibus, ut sunt inspissati, & oleaginei, &c. ad propria enim capita eorum tractatum mittimus.

Omnes Succi triplici modo, ex simplicibus extrahuntur: nempe per incisionem, expressionem, & digestionem; per incisionem, v. g. aqua ex vitibus, liquor betulæ, bryoniæ, scammonii, aloes, & similia; per expressionem eliciuntur Succo ex caulibus, foliis, floribus, radicibus, & fructibus; per digestionem denique, ex aliquibus vegetabilibus, & infectis separantur.

Diversimodè tamen Succus ex prædictis extrahitur. Caudales enim, & folia exprimuntur hoc modo. Sume caules, & folia recentia, succulentaque, hoc est, priusquam flores, ac semina emittant, ab impuritatibus per lavationem mundata, quæ in mortario lapideo probè pistentur, donec redigantur in massam, deinde in vase terreo vitreato, per horas octo macerentur, ut succus liquidior fiat, & in torculari exprimantur: Succus expressus, igne lento ebulliat, ut clarificetur, coletur, & in vase vitreo reponatur.

Modo simili extrahuntur Succo sequentes,

Abinthii.

Agrimoniæ.

Cardui Benedicti.

Cichorii.

Fumariæ.

Hyosciami.

Mercurialis.

Nicotianæ.

Plantaginis.

Portulacæ.

Solani, & similia.

EX FLORIBUS VERO SIC.

**R**... Florum à calicibus mundatorum, q. v. in mortario marmoreo pistentur, quatuorque horis macerentur, deinde

præ-

prælo succus exprimat, qui in vase vitreo insoletur, donec clarescat, & per decantationem separatus, modo supradicto usui servetur.

Alio quoque modo, è floribus succus extrahitur, v. g. fumendo flores, videlicet absque calicibus, qui in vase æneo, benè stannato injiciantur, igneque appposito, continuo spathula lignea agitentur, passimque aqua aspergantur, donec flores tabescant, deinde ab igne removeantur, & ante quam omnino infrigidentur, in torculari succus per expressionem eliciatur, tandemque usui reponatur.

Hoc modo extrahitur Succus florum

Papaveris Rhæados,

Rosarum Alexandrinarum

Rubrarum.

Violarum, & similium.

Pari modo (notabis) Succus extrahitur ex herbis viscosis.

Portulacæ.

Sedi majoris.

Borraginis, &c.

Ex radicibus autem, fructibusque carnosis sic extrahitur: sumantur radices, fructusvè carnosus, & maturi, qui radula deterantur, ac per decem horas macerentur, factaque expressione, succus eliciatur, qui deinde per quatuor dies insoletur, & succus clarus per inclinationem separetur, usui servetur, ut v. g. sequentes Succus.

Cydoniorum,

Cucurbitæ.

Melonum,

Pomorum, & similium.

Radicum Bryoniæ.

Ari.

Iridis.

Cucumeris asinini, &c.

Similium.

Ex fructibus Limonum, & similium, ita separatur Succus.

**R**... Limonum, q. v. medulla succosa à corticibus carnosis separatur, & leviter contundatur, præloque exprimatur, & succus per residentiam clarificatus, ad usum reponatur.

Sic similiter exprimuntur Succi

Aurantiorum.

Citri, & similium.

**R**... SUCCUS GRANATORUM modo sequenti elicitur. Malorum granatorum q. v. ex eis grana (à corticibus exterioribus, pelliculisque) separata, constringantur manibus, & confrinentur, mediaque expressione succus elicitur, ac per subsidentiam purificatus, usui reponatur.

Ex fructibus valde succulentis sic extrahes succum.

**R**... Fructus Mororum maturorum, q. v. blandè contundantur in mortario marmoreo, & facta expressione, succus per subsidentiam purificatus servetur ad usum.

Eodem modo extrahitur Succus

Fragorum.

Rubi idæi.

Cerasorum.

Agrestæ, & similium.

Per digestionem verò extrahitur succus ex herbis hoc modo.

**R**... Herba viridis, q. v. in mortario marmoreo contundatur, donec in massam redigatur, injice in cucurbita, seu olla figulina vitreata, benè obturata, & in clibano (post panis extractionem) ponatur ad horas sex, deinde aperiat, succusque per inclinationem separetur, & usui tandem servetur.

Hic autem maximè & notatu dignum, hanc succorum præparationem solummodò esse necessariam, dum ad usum internum sinè consortio alterius medicamenti præscribuntur, quo in casu maxima est à Medico habenda ratio ventriculi,

ne largiorem dosim permittat, aliàs ipsius ventriculi fermentum, calorem, & tonum destruet onere succorum crudorum. Succi enim omnes ob particulas aqueas, & heterogeneas crudiores sunt, & flatulenti.

Ex Insectis integris, succus, liquorvè, ita extrahitur.

**R**... Lumbricorum terrestrium mundatorum q. v. immitte in vas vitreum angusti orificii, quod optimè clausum, massa panis involve altitudinis trium transversorum digitorum, deinde in clibano, instar panis coquatur, peractaque coctione, lumbricos in liquorem resolutos invenies, quem filtra, & ad usum ferva.

Nota primò: quòd omnes Succi qui clarificari vel coqui debent cum faccharo, aut melle; vel admisceri debeant unguentis, vel emplastris, defœcatione haud indigent.

Secundò: Succos vinosos Soli exponendos, ut clareant.

Tertiò: plantis aridis ferventem aquam addendam esse. Viscosis ignem moderatum esse necessarium.

Quartò: delectum habendum esse vas: omnes Succi enim acidi colorem mutant in vasis æneis, aut ferreis.

Quintò: succi defœcati fervari debent in vasis vitreis colli longioris, superaffuso oleo amygdalarum dulcium, seu olivarum.

# PARS SECUNDA.

## CAPUT I.

### DE COMPOSITIONE, SEU MISTIONE *Medicamentorum.*

**M**istio, seu compositio Medicamentorum Pharmaceutica est artificiosa simplicium exactè præparatorum certa proportione, pondere, & mensura associatio, ut medicamentum è distinctis corporibus combinatum tanquàm unum appareat.

Multi in medicamentorum compositione ab Artificibus, seu Pharmacopœis debent observari: an scilicet simplicia sint viscosa, resinosa, terrestria, liquida, mollia, dura, &c. ut menstrua idonea, & opportuna eligantur ad dissolvendas moleculas eorum desideratas, & præparationes debitas ad unionem, & conjunctionem in compositionibus faciendam.

Unio in Pharmacia vocatur, dum corporum particulae, seu moleculæ in aliquo liquido innatare coguntur, solutione mediante, ut in tincturis, decoctis, infusionibus, lixiviiis, & similibus.

Conjunctio verò dicitur, quando simplicia præparata, ad misionemque adaptata, partim miscentur, partim uniuntur, partimque cohærent, mediante corpore aliquo viscoso, seu oleoso, quod eis, instar vinculi, intermediique infervit, ut in electuariis, tabellis, trochiscis, pilulis, linimentis, cerotis, & similibus.

## CAPUT II.

## DE INFUSIONIBUS.

**I**nfusiones sunt medicamenta, seu extracta liquida ex speciebus, mediante temporis spatio, in liquore commodo, in frigido, seu calido loco facta.

Infusiones in duas classes præcipuè dividuntur, in laxantes videlicet, & alterantes: Laxantibus verò communiter in Medicina hodie utimur: nam solùm particulæ subtiliores, & magis solubiles simplicium purgantium, mediante infusione in liquore aquoso, extrahuntur: & ideò in operationibus sunt benigniores, quàm in decoctis, seu aliis medicamentorum compositionibus.

Modus, sive Methodus ita est, ut species pro re nata, vel mundentur, vel scindantur, vel contundantur, deinde iis liquor aquosus in sufficienti, seu præscripta quantitate affundatur: atque per aliquot horas, seu dies, secundùm exigentiam macerentur, sive digerantur, & denique colentur, ut ad usum porrigantur.

Notandum quòd, quamvis vina, acetum, tincturæ, & aliæ species medicamentorum liquidorum eadem operatione fiant, hìc tamen ea non describimus; sed ad diversa capita eorum dilucidationem, & explicationem mittimus.

**R**... INFUSIO ROSARUM ALEXANDRINARUM.

*Foliorum Rosarum Pallidarum recentium* ℞ xij.  
à caliceibus probè mundatorum

*Aquæ communis ferventis* ℞ xxx.

Infundantur in vase fictili vitreato, per spatium viginti quatuor horarum, postea expressione facta, rursus calefiat; non tamen ad ebullitionem usque, & altera fiat infusio eiusdem foliorum rosarum quantitatis, coletur denique, & ex-

pri-



primatur : hæc operatio ter , quaterve reiteretur , ac per sub-  
sidentiam depurata usui servetur.

Eodem modo fiunt infusiones,

Rosarum Rubrarum.

Florum Persicorum.

Papaveris Rhœados, & similibium.

Notandum quòd aliæ infusiones laxantes , & alterantes  
extemporaneæ fiunt , & secundùm varias intentiones à Me-  
dicis præscribuntur.

## C A P U T III.

### DE VINIS , ET CEREVISIIS MEDICATIS.

**V**ina , & Cerevisiæ medicatæ , seu compositæ , nihil aliud  
sunt , quàm ipsa vina , ipsæque cerevisiæ particulis  
unius , sive plurium simplicium , fermentatione me-  
diante , aut infusione , imprægnatæ.

Vinum paratur ex omnibus ferè succis fructuum matu-  
rorum , ritè fermentatis : fitque ex melle , & saccharo in Me-  
dicina , attamen vinum ex musto fermentato inservit.

Cerevisia etiam est vini species , & ex hordeo , tritico ,  
avena , similibusque seminibus in debita aquæ quantitate de-  
coctis , ac fermentatis efficitur.

Dupliciter itaque vina medicinalia præparantur infusio-  
ne , videlicet simplicium in musto , seu in mistura hordei , &  
aquæ , ut simul fermententur , ac eorum substantiæ , aut vir-  
tutes , à liquoribus extrahantur , vel infundendo simplicia in  
Vino , aut in Cerevisia , ut , mediante digestionem , insolatio-  
ne , vel maceratione per dies aliquot , partes eorum activæ  
dissolvantur.

#### VINUM EMETICUM.

**R**... *Croci metallorum , seu hepatis antimostii*  
*Vini albi optimi*

℥ iij.

℥ ij.

Infun-

Infunde, & macera per dies octo in lagena vitrea bene obturata, ac simul reponantur, & ferventur, sæpius agitando, ad ejus verò usum vinum supernatans per inclinationem separetur.

Insigniter biliosos evacuat humores, tam per vomitum, quàm per secesum.

*Dosis ab ℥ ℔ ad ℥ jv.*

VINUM ABSINTHII MEDIANTE FERMENTATIONE factum.

**R**... *Summitatum Absinthii siccarum, & incisarum* ℥ v.  
*Injice in doliolum idoneum, quibus superaffunde Musti recentis* ℥ lx.

Reponantur simul in cella vinaria, & fermentatione facta, liquor vinosus clarus in lagenis vitreis, optimè obturatis, ad usum fervetur.

Menses movet, appetitum excitat, ventriculum roborat, ac flatus dissipat.

*Dosis ab ℥ j ad ℥ jv.*

Eadem methodo fiunt vina

Betonicæ.

Salviæ.

Roris marini, & similia.

**R**... *Summitatum Absinthii siccarum, & incisarum* ℥ iij.  
*Vini albi optimi* ℥ viij.

Infundantur, ac macerentur ad dies duos, dein coletur, & ad usum fervetur.

Easdem habet virtutes, ac præcedens.

*Dosis quoque eadem est.*

Similiter paratur vinum

Euphrasiæ.

Salviæ.

Betonicæ.

Roris marini.

Radicis Enulæ campanæ, & similibus vegetabilium.

**R** VINUM QUINÆ QUINÆ, SEU ANTI-FEBRILE.

*Quina: Quina pulverata*

℥ j ℞.

*Vini albi optimi*

℔ iij.

Infundantur in vase vitreo stricti oris, benè obturati, ac digerantur in loco calido per viginti quatuor horas, sæpius agitando; dein per inclinationem vinum separetur.

Ad febres maximè intermittentes debellandas, prodest.

*Dosis ab ℥ ij ad ℥ jv.*

**R** VINUM STIPTICUM.

*Nucum Cupressi*

*Foliorum Roris marini,*

*Baccarum Myrti..... ana ℥ j.*

*Rosarum Rubrarum,*

*Corticis Granatorum,*

*Balaustrarum,*

*Aluminis crudi..... ana ℥ ℞.*

*Vini Rubri optimi, ℔ jv.*

Omnia contusa decoquantur per semihoram igne lento, S. A. dein decoctum coletur, atque exprimatur.

Adstringens, & roborans est.

C A P U T IV.

DE ACETIS MEDICATIS.

**A** Cetum Medicinale, nihil aliud est, quàm Acetum vini naturale particulis activis unius, seu plurium simplicium, mediante infusione imprægnatum.

ACETUM ROSATUM.

**R**... *Florum rosarum rubrarum siccarum, & ab unguis mandatarum*

℔ j.

*Aceti vini optimi*

℔ viij.

Info-

Insolentur per quindecim dies in vase vitreo obturato; dein coletur, & exprimatur.

Eadem methodo fiunt Aceta, videlicet:

Florum Sambuci.

Calendulæ.

Roris marini.

Tunicæ.

Herbarum Rutæ.

Scordii.

Sennæ, & similium.

Acetum rosatum incidit, detergit, temperat, appetitum excitat, acrimoniam salium volatiliū obtundit, vermes necat, vomitus sistit; pro usu interiori cum alimentis, seu medicamentis miscetur, putredinem arceat; externè fronti applicatum somnum inducit.

### ACETUM SCILLITICUM.

**R**... *Laminarum Scillæ siccarum*

℥j.

*Aceti Vini Acerrimi.*

℥vj.

Immittantur in vas vitreum idoneum benè obturatum, & per quadraginta dies insolentur, dein Acetum colatum usui servetur.

Pro conficiendo Oximelle Scillitico, & gummi dissolvendis in officinis præsertim inservit.

Ab omnibus ferè Medicis pro medicamento efficaci ad cerebrī affectus frigidus, & curatu contumaces habetur, ut epilepsiam, & vertiginem: humores enim crassos attenuat, lentos incidit, fluxiles, promptosque ad evacuationem redit, & expellit.

*Dosis ab ℥ss ad ℥iij.*

### ACETUM PLUMBI, SEU SATURNI.

**R**... *Lithargyri, vel Minii, seu Cerussæ*

℥j.

*Aceti albi acerrimi*

℥ij.

Infundantur per dies octo in vase vitreo sæpius agitando; dein acetum probè dulcificatum filtratur, & usui servetur.

Mistum, & ritè agitatum cum oleo violarum, sive Amyg-

Amygdalarum dulcium, pro butyro Saturni conficiendo infervit; in omnibus cutis vitiiis, ulceribus humidis, & foetidis, ac similibus affectibus Butyrum hoc maximè prodest.

**R...** ACETUM THERIACALE, SEU BEZOARDICUM.  
*Species Aqua theriacalis in hac Pharmacopœa descripta.*  
*In Aceti vini optimi* ℞ x  
*macera loco calido per mensem, postea in expresso, solve*

*Theriaca magna* ℥ vi

Ac infola per triginta dies, dein cola, & ad usum serva.

Commendatur ad invertenda miasmata maligna, quæ coagulando, vel dissolvendo sanguinem, & spiritus, destruunt naturam, & ad febres malignas, vel ipsam pestem disponunt.

*Dosis ad Preservationem est ab ℥ ℥ ad ℥ j: ad curationem Potionibus admixtum sudorificis ab ℥ j ad ℥ ij.*

Externè naribus admotum, & pulsibus applicatum, præservat, atque roborat.

Notandum, quòd acetis subungi possunt OXYCRATUM, seu POSCA, & OXYRRHODINUM.

OXYCRATUM nihil aliud est, quàm mistio ex una acetiparte, & sex partibus aquæ constans.

OXYRRHODINUM paratur, miscendo partem unam acetii rosati, & tres olei rosarum partes.

## C A P U T V.

### DE DECOCTIS.

**D**ecoctum est Medicamentum liquidum variis particulis, sive moleculis unius, vel plurium simplicium imbutum, recta coctione solutis, in liquido idoneo factum.

Decoctionis verò levis est, valida, aut mediocris pro rerum coquendarum substantia, & viribus: quædam enim leviter tantum decoquenda, ut quæ virtutem habent imbecillam, nimisque dissipabilem, & substantiam raram, veluti aliqua simplicia purgantia, flores scilicet Violarum, Roris marini, Papaveris Rhœados, &c. & quæ ex particulis salino-oleosis volatilibus constant, ut Salvia, Thymus, Lavendula, Mentha, semen Fœniculi, Anisi, Dauçi, Lignum Aloes, Sassafras, Santalum Citrinum, & omnia, quæ suavem aromaticum spirant odorem.

Altera vero validiorem poscunt decoctionem, quorum nempe substantia firma est, crassa, densaque, ut ligna inodora, Polypodium, Sarsaparilla, China, & similia: nam eorum virtus difficillimè dissipatur, ob arctiorem particularum coherentiam: ideò prius maceranda, & postea diù decoquenda.

Alia mediocrem sustinent decoctionem, quæ substantia, & viribus, inter dicta, media sunt, sicut herbæ, fructus, femina, radices, &c. quæ nec tam leviter ut flores, nec tam validè, ut ligna inodora decoquuntur.

Cum verò à Medicis absolutè præscribatur decoctio, semper in vasis fictilibus vitreatis, sive cupreis benè stannatis, ritè obturatis, & in aqua fontana fieri debet.

#### DECOCTUM PECTORALE.

R... <i>Hordei mundati, &amp; loti</i>	℥ ij.
<i>Inubarum sinè osibus</i>	℥ j.
<i>Dactylorum mundatorum</i>	n x.
<i>Caricarum pinguium</i>	n xij.
<i>Capillorum veneris</i>	℥ β.
<i>Aquæ communis tepidæ.</i>	℔ viij.

Fiat omnium decoctio per quadrantem horæ S. A. addendo in fine

<i>Glycyrrhiza rase, &amp; contusa</i>	℥ β.
<i>Hedera terrestris</i>	
<i>Hyssopi</i> . . . . .	ana m. β.

Dein vase ab igne femoto , & semirefrigerato , decoctum cola , & ad usum serva.

Humectat , dulcorat , & lubricat : quare egregiè tussi opitulatur , ideoque in pleuritide , rheumatismo , & nephritide prodest.

*Dosis ab ℥ iij ad ℥ vj.*

### R... DECOCTUM PECTORALE SOLUTIVUM.

*Decocti pectoralis descripti.* ℥ viij.

*Foliorum sennæ mundatæ* ℥ iij.

*Rhabbarbari contusi* ℥ j.

*Tartari solubilis , seu vitriolati* ℥ j.

Omnia in vase terreo vitreato indantur , & igne lento , levi cum ebullitione decoquantur , dein cola , & ad usum serva.

In pectoris affectibus , ubi opus est expurgare , inservit : humores enim sine molestia laxat.

*Dosis ab ℥ jv ad ℥ vj.*

Notandum , quod folia Sennæ , radix Assari , Rhabbarbari , flores Rosarum Alexandrinarum , Moschatarum , & simillium , unica tantum levi ebullitione decoquantur : nam si nimia sit ebullitio , seu decoctio , tunc substantia viscoso-tenax dissolvitur , quæ magna intestinorum excitat tormina , atque dolores.

### DECOCTUM ALBUM.

R... *Cornu Cervi ad albedinem usi , & preparati* ℥ j.

*Micæ Panis albissimi.* ℥ ij.

*Aquæ communis tepidæ.* ℔ jv.

Omnia injiciantur in vase terreo vitreato , & per quadrantem horæ igne lento decoquantur , postea per linteum rarum coletur levi cum expressione , & liquor lacteus cum sufficienti sacchari quantitate ( hoc est ℥ ij. ) dulcoretur , ac ad usum , porrigatur : alii addunt

*Aquæ naphæ vel cinnamomi bordeatæ* ℥ ij.

In dysenteria , diarrhœa , tenesmo , & aliis alvi fluxibus proficuum est , etiam tussim acrem , & siccam temperat , ac dulcorat.

Dosis ab ℥ ij ad ℥ jv.

Aliquando pro potu communi inservit.

## DECOCTUM è LIGNIS.

R... *Ligni Guajaci* ℥ iij.  
*Rasura Cornu Cervi*  
*Eboris* ..... ana ℥ ℔.

*Contundantur omnia, & injiciantur in*  
*Aque communis tepida* ℔ xvj.

In vase fictili vitreato, & per duodecim horas infundantur, postea vase clauso, per duas horas, igne non valido decoquantur, addendo in fine.

*Rasura ligni Sassafras* ℥ ij ℔.  
*Santali Citrini* ℥ vj.

Leviterque percoquantur, dein decoctum cola, & ad usum serva.

Exiccat, attenuat, sudorem movet, catarrhosis affectibus confert, arthriticis, paralyticis, hydropicis, leucophlegmaticis, & temperamento frigidiore laborantibus.

Dosis ℥ jv bis quotidie.

## DECOCTUM, SIVE AQUA ANTI-VENEREA, VEL Antimonialis.

R... *Sarsaparilla incisa* ℥ ij.  
*Ligni visci quercini contusi* ℥ j ℔.  
*Rasura Cornu Cervi*  
*Eboris* ..... ana ℥ ℔.

*Antimonii crudi in frustra, &*  
*in petia ligati* ℥ iij.  
*Aque communis tepida* ℔ x.

Omnia simul injiciantur in vase fictili vitreato, & per spatium viginti quatuor horarum macerentur, postea igne lento, per horam decoquantur, in fine addendo.

*Cinnamomi acuti* ℥ ij.

Ab igneque statim separa, dein decoctum cola, & ad usum serva.

Ad dolores venereos, rheumaticos extirpandos valet, exic.



exiccat, ac resolvit : ideoque in gonorrhœa valdè prodest, ejus usus per dies multos continuari debet.

*Dosis ab ℥ iij ad ℥ vj.*

**R**... DECOCTUM ANTI-NEPHRITICUM.

<i>Ligni nephritici</i>	℥ β.
<i>Corticis radice petroselini</i>	℥ ij.
<i>Fruetuum Alkekengi</i>	℥ vj.
<i>Cremeris tartari</i>	℥ iij.
<i>Aqua communis tepida</i>	℔ vj.

Contundantur, quæ contundenda, & injiciantur omnia in vase terreo vitreato, & per quadrantem horæ, igne lento decoquantur, ac in fine adde

*Cinnamomi optimi* ℥ ij.

Et ab igne vase semoto, decoctum refrigeratum cola, in colatura iterum adde

<i>Succi recentis limonum</i>	℥ iij.
<i>Sacchari Candi pulverisati</i>	℥ jv.

*Misce optimè ad usum.*

Laudatur maximè ad calculum expellendum, & sabulofam materiam in renibus, & vesica contentam.

*Dosis ℥ jv. vespere, atque mane.*

**R**... DECOCTUM ANTI-ICTERICUM.

<i>Herba Abrotani.</i>	℥ β.
<i>Stercoris Anserini in petia ligati</i>	℥ iij.
<i>Radice Chelidonii</i>	
<i>Curcuma</i> .....	ana ℥ ij.
<i>Baccarum Juniperi</i>	℥ vj.
<i>Omnia contusa injiciantur in</i>	
<i>Vini albi optimi, &amp;</i>	
<i>Aqua Absinthii</i> .....	ana ℔ iij.

Et in vase clauso per quadrantem horæ decoquantur, addendo in fine

<i>Rhabarbari optimi</i>	
<i>Zedoaria leviter contusorum</i> .....	ana ℥ jβ.
<i>Florum hyperici</i>	℥ iij.

*Nucis*

*Nucis Moschata*

℥ j

*Croci integri*

℥ ij.

Ac levi cum ebullitione finiatur decoctio, dein vase ab igne semoto, decoctum refrigeratum cola ad usum.

In affectibus Ictericis, & aliis ab obstructione ortis, prodest.

*Dosis ab ℥ jv ad ℥ vj.*

DECOCTUM ANTI-PESTILENTIALE,  
seu Antiloimicum.

R... *Radicis Zedoariae*

℥ β

*Contrageryæ**Angelica hispanica**Radura C. C.*

*Eboris . . . . . ana ℥ ij.*

*Decocti hordei depurati*

℥ iij.

In olla vitreata, operculo suo clausa, per quadrantem horæ decoque, deinde adde

*Theriace*

*Diascordii fracaſtori . . . . . ana ℥ j β.*

*Croci*

℥ j.

*Coccinela*

℥ ij.

Leviter ebulliant, coletur, colaturæ addantur

*Aque Theriacalis**Epidemica*

*Syrupi tunicæ . . . . . ana ℥ ij.*

*Syrupi Chermesini*

℥ j.

*Misce, & propina ad usum.*

In febribus pestilentialibus, malignisque infervit.

*Dosis ab ℥ j ad ℥ iij.*

JUSCULUM, VEL DECOCTUM, SEU CONSUMMATUM  
Viperæ.

R... *Viperæ recenter excoriata, capite, & cauda*

*rejeſtis, minutim incisa . . . . . n. j.*

*Aque scorzonera*

℥ vj.

*Santali rubri tritirati*

℥ β.

Omnia simul immittantur in Matratium vitreum idoneum,

&amp;

& ritè claufum, ac in Balneo arenæ appofitum, fuprà ignem lentum per horas quatuor decoquantur; dein coletur, & ad ufum porrigatur.

Ad fanguinem purificandum, & fpiritus reficiendos valet: nonnunquam Medici huic jufculo addunt carnem Vitulinam, Pullum Gallinaceum, rafuram Cornu Cervi, aut Eboris, radices, vel alia &c.

**R...** DECOCTUM EMOLLIENS.

*Foliorum* Betæ,  
Malvæ,  
Althææ,  
Mercurialis,  
Senecionis,  
Anethi,  
Parietariæ,

Ex his plantis elige tres, vel quatuor magis obvias;  
cujusque

ʒj.

Coque fecundùm Artem in fufficienti aquæ quantitate pro uno Clyftere.

**R...** DECOCTUM CARMINANS.

*Decocti emollientis* ʒx.  
*Seminis Anifi*  
*Fœniculi* ..... ana ʒij ʒ.  
*Florum Chamemeli*  
*Summitatum Meliloti* ..... ana ʒij.  
Coque leviter, & cola ad ufum.

C A P U T VI.

DE P T I S A N I S,

**P** Tifana eft Medicamentum liquidum, feu Decoctum ex paucis, & parva fimplicium quantitate in magna copia aquæ factum, & fimul pro potu communi propinatum.

PTI-

PTISANA , SEU DECOCTUM HORDEI;  
Communiter Cremor Ptisanæ, seu Hordei vocatus.

R... *Hordei aqua fervida humectati, & excorticati* ℥ j.  
*Aqua fontane* ℥ xx.

Decoque ad tertiæ partis consumptionem, sive ad hordei crepaturam: decoctum semirefrigeratum coletur, ac saccharo dulcoretur. Prisci eo utebantur pro medicamento humectanti, & nutrienti.

PTISANA COMMUNIS, SEU DECOCTUM  
hordei.

R... *Hordei integri à sordibus mundati, & loti* ℥ iij.  
*Injiciantur in aqua communis tepida* ℥ xij.

Coquantur simul per semihoram igne lento, dein vase ab igne semoto, adde

*Liquiritiæ rase, & contusa* ℥ β.

Postea decoctum refrigeratum cola, & ad usum ferva.

Abstergit, diluit, temperat, & acres humores dulcorat.

PTISANA CARDIACA.

R... *Radiciæ Scorzonerae rase* ℥ j.  
*Rasura Cornu Cervi*

*Eboris* ..... ana ℥ ij.

*Aqua fontane tepida* ℥ xij.

Omnia injiciantur in vase fictili vitreato, & igne lento, per semihoram decoquantur, dein cola, ac ad usum ferva.

Dulcorat, temperat, atque humectat, in febribus malignis, variolis, morbillis, & similibus affectibus pro potu ordinario inservit.

PTISANA PECTORALIS.

R... *Orizæ mundatæ, & lotæ* ℥ j.

*Capillorum veneris*

*Foliorum tusilaginis* ..... ana ℥ iij.

*Aqua communis tepida* ℥ xij.

Coque S. A. per semihoram; sub finem adde

*Radi-*

*Radicis liquiritiæ rasa*

*Althææ contuse* ..... ana ℥ ℥.

*Florum Papaveris Rhæados* ʒ ij.

Et vase ab igne semoto, postea cola, & usui serva.

Dulcorat, abstergit, & temperat humores acres thoracis, & pulmonis.

**R**... PTISANA APERIENS.

*Radicis Graminis,*

*Fragariæ,*

*Cichorii,*

*Oxalidis*..... ana ℥ ℥.

*Incisa & contuse injiciantur in*

*Aquæ Fontanæ tepidæ* ℥ viij.

Coquantur per semihoram igne lento : adde sub finem

*Glycyrrhizæ rasæ, & contuse* ʒ ij.

*Nitri depurati* ʒ j.

Postea cola, & usui serva.

Temperat, diluit humores crassos, & acres, urinam movet, in febribus ardentibus, gonorrhœa, urinæ ardore, & similibus affectibus prodest.

**R**... PTISANA ADSTRINGENS.

*Oryzæ lotæ* ʒ j.

*Rasuræ Cornu Cervi,*

*Eboris*..... ana ℥ ℥.

*Radicis tormentillæ,*

*Bistortæ contusarum*..... ana ʒ iiij.

*Aquæ communis* ℥ viij.

Coquantur omnia per semihoram lege artis, & sub finem adde

*Glycyrrhizæ rasæ, & contuse* ʒ ij.

Postea cola, & serva.

Modicè adstringit, & roborat, pro quo in alvi fluxibus; pro potu ordinario crebrius usurpatur.

**R**... PTISANA, SEU DECOCTUM AMARUM.

*Summitatum Centaurii minoris*

## PHARMACOPOEA MATRITENSIS.

<i>Scordii</i> . . . . .	ana	ʒvj.
<i>Radicis gentianæ contusæ</i>		ʒj.
<i>Seminis Citri, seu limonum</i>		ʒij.
<i>Aquæ fontis</i>		℥vj.

Coque S. A. per quadrantem horæ, postea cola, & ad usum serva.

Stomachicum, febrifugum, & cardiacum est.

**R**... PTISANA, SEU DECOCTUM FEBRIFUGUM.

<i>Corticis Peruviana crassiusculè trita</i>		ʒj℥.
<i>Nitri depurati</i>		ʒj.
<i>Aquæ fontis</i>		℥xij.

Coquantur S. A. per quadrantem horæ, postea cola, & usui serva.

Febrifugum est, ideo in intermittentibus pro potu ordinario usurpari potest.

**R**... PTISANA ANTICOLICA LAXATIVA.

<i>Foliorum Sennæ mundatæ</i>		ʒj.
<i>Seminis Anisi,</i>		
<i>Tartari solubilis</i> . . . . .	ana	ʒ℥.
<i>Mannæ electæ</i>		ʒjv.
<i>Seri lactis Caprini depurati,</i>		
<i>seu distillati</i>		℥jv.

Omnia simul injiciantur in vase fictili vitreato, & super ignem lentum ponantur quousque leviter ebulliant, & Manna dissolvatur, dein ab igne separa, ac semifrigidè coletur.

Ad diluendos, dissolvendos, & evaquandos humores viscido-acres in doloribus colicis, hac Ptisana præsertim utimur.

*Dosis ab ʒij ad ʒvj.*

Reiteretur intervallo quatuor horarum, per tot vices, quot à Medicis videatur, & quoque ad diluendum leviterque laxandum in omnibus affectibus, ubi opus est expurgare leniter, & epieraticè inservit.

**R**... PTISANA LAXATIVA PURGANS.

<i>Mannæ electæ</i>		ʒij.
<i>Folicum Sennæ mundatæ</i>		ʒ℥.

*Salis*

*Salis noſtratis Cathartici* ℥ ij.

*Seri lactis caprini diſtillati* ℔ j.

Fiat Omnium Ptifana ex arte, ut ſupra dictum eſt.

Suaviter per alvum expurgat humores.

*Dofis ad ℥ vj. pro una vice, ſecunda repetatur ſi Medico viſum fuerit.*

## C A P U T VII.

### DE APOCEMATIBUS.

**A** Pocemata ſunt decocta, ſeu liquida Medicamenta, viribus medicamentofis plurium ſimplicium, intervenienti recta coctione, ſummè imprægnata.

In Apocematibus faciendis omnia (in capite de Decoctis) dicta, etiam obſervari debent.

**R** APOCEMA ANTI-VENEREUM SOLUTIVUM.

*Sarſaparilla* ℥ ij.

*Radiciſ China,*

*Raſura ligni ſancti,*

*Corticis ejuſdem . . . . . ana ℥ j.*

*Omnia incifa, & contuſa injiciantur in*

*Aqua fontane tepide* ℔ xv.

In vaſe fictili vitreato per viginti quatuor horas digerantur, dein vaſe clauſo, igne lento decoquantur per duas horas, addendo in fine

*Summitatum Chamæpitys,*

*Foliorum Senne mundate . . . . . ana ℥ j℔.*

*Hermodaetylorum,*

*Agarici,*

*Cinnamomi . . . . . ana ℥ j.*

Iterum percoquantur unica ebullitione, & decoctum, ſive Apocema ab igne removeatur, coletur denique, & exprimat.

In omnibus doloribus rheumaticis, à lue venerea ortis, plurimum confert.

*Dosis ab ℥ iij ad ℥ vj.*

Notandum, quòd tam Apocema, quàm Decoctum, ab aliquibus, saccharo, vel syrups idoneis, juxta Medici mentem, dulcorantur.

## C A P U T VIII.

### DE EMULSIONIBUS.

**E**Mulsiones sunt Medicamenta liquida, saporis grati, lactei coloris ex seminibus, nucleisque lactescentibus, mediante liquore idoneo facta.

Emulsiones in magna quantitate non præscribuntur, quia faciliter acefcunt, & vix ultra diem permanent.

Conficiuntur, scilicèt hoc modo: semina nucleique recentes, & non rancidi mundati, ac excorticati contundantur in mortario marmoreo liquore affuso, nempe aqua communi, five stillata juxta Medici ideam, ut in pulmentum liquidius abeant, & per linteum manibus exprimantur, dein residuum denuò contundatur, ac ut supra exprimatur, postea liquor lacteus, five emulsio, saccharo, vel syrupo dulcoretur.

#### EMULSIO COMMUNIS.

**R**... *Amygdalarum dulcium mundatarum,*

*Seminis Cucurbitæ,*

*Melonum excorticatarum . . . . . ana ℥ ij.*

*Decocti bordei, seu aque fontanæ ℔ j.*

Fiat emulsio S. A. dulcoretur cum sacchari, aut syrups sufficienti quantitate, hoc est ℥ j.

Dulcorat, refrigerat, humectat, ac demulcet.

*Dosis ab ℥ vj ad ℥ xij.*

#### EMULSIO PURGANS, SEU CATHARTICA.

**R**... *Resina Gialappæ*

*gr. x.*



PARS SECUNDA.

149

*Vitelli Ovi* *parum.*

Misceantur exacte in mortario marmoreo, dein adde

*Amygdalarum dulcium mundatarum* *n. vj.*

Contundantur optimè, & diluantur cum

*Aqua communis*  $\mathfrak{z}$  iij.

Fiat emulſio S. A. dulcoretur, cum

*Syrupi Corticis Citri, vel*  
*Cinnamomi*  $\mathfrak{z}$  j. vel  $\mathfrak{z}$  ij.

Misce, & porrige ad usum pro unica Dosi.

Humores omnes, præsertim serofos validè expurgat.

CAPUT IX.

DE POTIONIBUS, ET MISTURIS.

**P**otiones, & Misturæ sunt Medicamenta liquida ex diversis decoctis, aquis, spiritibus, pulveribus, & aliis medicamentis facta.

POTIO VULNERARIA COMMUNIS

**R**... *adstringens.*

*Vinca peruinca,*

*Alchimilla,*

*Pyrola,*

*Sanicula,*

*Veronica,*

*Centinodia* ..... ana  $\mathfrak{z}$  ß.

*Radici tormentillæ,*

*Santali rubri* ..... ana  $\mathfrak{z}$  iij.

*Omnia incisa, & contusa injiciantur*

*in Aquæ Plantaginis*  $\mathfrak{℥}$  jv.

*Succi Urticæ depurati*  $\mathfrak{℥}$  ij.

Coquantur per semihoram S. A. dein decoctum coletur, & exprimatur.

Acredinem humorum temperat, laxitatem fibrarum tollit,

150 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.  
tollit, ora vasorum hiantia claudit, & hæmorrhagiam  
sistit.

*Dosis ab ℥ iij ad ℥ vj.*

**R...** POTIO ANTI-NEPHRITICA.

*Syrupi Althææ*

*Olei Amygdalarum dulcium sine igne ... ana ℥ j ℔*

*Vini albi optimi ℥ iij.*

*Aquæ Raphani,*

*Parietariæ ..... ana ℥ iij ℔.*

*Crystalli mineralis, seu*

*Salis prunellæ ..... ℥ j.*

*Spiritus Terebinthinæ*

*Salis dulcis ..... ana gr. viij.*

Misce exactè, & fiat potio pro duabus dosibus.

Dolores demulcet, urinam pellit, renum, utrumque  
vias, mucò, aliisque extraneis occupatas detergit.

**POTIO, SIVE AQUA ANGELICA COMMUNIS**

*solutiva.*

**R...** *Foliorum Sennæ mundatæ ℥ iij.*

*Mannæ electæ ℥ iij.*

*Cremeris tartari ℥ j.*

*Hæc omnia injiciantur in*

*Aquæ Cichorii, seu fontanæ ℥ viij.*

Ponantur in vase fictili vitreato, sive æneo stannato, supra ignem lentum, ut Manna (cochleare movendo) omnino dissolvatur, postea semifrigidè cum albumine ovi conquassati clarificentur, & liquor per manicam filtretur, usque purus, ac diaphanus appareat; aromaticetur denique guttulis aquæ Cinnamomi.

Secure, & benignè expurgat humores.

**R...** MISTURA DE TRIBUS.

*Spiritus theriacalis camphorati ℥ v.*

*Tartari reëctificati ℥ iij.*

*Vitrioli volatilis ℥ j.*

Misceantur optimè, ac in vase vitreo stricti oris benè obturati ad usum reponantur.

Su-

Sudorem movet, putredinem arcet, magnarumque virium censetur in febribus malignis, &c.

*Dosis à ℥ ℥ ad ℥ j in vehiculis idoneis.*

### R... MISTURA BALSAMICA.

<i>Balsami Copaibæ</i>	℥ ℥.
<i>Vini albi optimi</i>	℥ viij.
<i>Sacchari clarificati</i>	℥ iij.
<i>Vitellorum ovorum</i>	n ij.

Balsamum cum vitellis ovorum in mortario lapideo probè agitando misceatur, dein cum vino, & saccharo paulatim diluatur, & omnia benè permixta ad usum porrigantur.

Valet in tussi antiqua, pectoris, & pulmonum affectibus, sanguinem purificat, stomachum roborat, ventrem benignè expurgat, ac urinam movet.

*Dosis Cochlear unum, manè, & vesperè repetendum, idque per multos dies.*

### R... MISTURA BALSAMICA NEPHRITICA.

<i>Balsami Copaibæ</i>	℥ ℥.
<i>Olei Juniperi distillati</i>	℥ ℥.
<i>Syrupi Althææ</i>	℥ ij ℥.
<i>Aquæ Parietaria</i>	℥ x.
<i>Vitellorum ovorum</i>	n ij.

Omnia misceantur exactè S. A. ad usum.

Valet in doloribus nephriticis, ulceribus internis, arthritide; urinam, calculosque vesicæ, mirificè promovet.

*Sumitur cochleatim.*

### R... MISTURA ANTI-HYSTERICA.

<i>Tincturæ Assæfætide</i>	℥ ij.
<i>Galbani,</i>	
<i>Castorei,</i>	
<i>Spiritus salis ammoniac,</i>	
<i>Olei Succini</i> . . . . .	ana ℥ j.

Immittantur in lagenam vitream, & optimè clausam, per tres dies digerantur, postea hæc mistura ad usum reponatur.

*Dosis in hystericis affectibus a gt. xx. usque ad xxx in vehiculis appropriatis.*

## CAPUT X.

## DE GARGARISMATIBUS.

**G**argarisma est medicamentum liquidum, quod ore contentum, diu circa fauces agitatur, & extempore fit ex Aquis distillatis, vel Decoctis radicum, herbarum, florum, &c. quibus, syrupi, mel, salia, pulveres, spiritus, & alia prout opus fuerit, adduntur.

Istæ mixturæ secundum diversos fines, ususvè, diversis appellantur nominibus, quando pro collutione oris inservit, Diaclysmata vocatur; quando applicatur ad cerebri humores eliciendos, Apophlegmatisma dicitur; & si ad gargarizandum adhibetur, tunc Gargarisma appellatur.

GARGARISMA AD ANGINAM, ET UVULÆ inflammationem.

<b>R</b> ... <i>Hordei integri</i>	℥j.
<i>Herbarum Salvia,</i>	
<i>Plantaginis,</i>	
<i>Agrimoniae . . . . . ana m ℥.</i>	
<i>Albi græci</i>	℥ss.
<i>Passularum</i>	℥j.
<i>Omnia injiciantur in</i>	
<i>Aque fontanae tepida</i>	℥iij.

Bulliant per quadrantem horæ igne lento S. A. dein cola.

<b>R</b> ... <i>Ejus Colatura</i>	℥j.
<i>Mellis rosati</i>	℥ij.
<i>Salis ammoniaci</i>	℥j.

Misce, & fiat Gargarisma S. A.

Ad Uvulæ, tonsillarum, muscutorum faucium, laryngis, & pharyngis infarctionem, tumorem, ac inflammationem, à lymphâ crassa, viscidaque productam, specificum est.

Tepidè adhibetur ad gargarizandum.

GAR-

## GARGARISMA PITUITAM È CEREBRO

eliciens.

**R**... *Piperis nigri,*  
*Radicis pyrethri,*  
*Iridis,*  
*Seminis Staphidisagriæ,*  
*Sinapis . . . . . ana ℥j.*  
*Herbarum Betonicæ,*  
*Majoranæ . . . . . ana m ℔.*  
*Omnia contusa injiciantur in*  
*Aquæ communis, &*  
*Vini albi . . . . . ana ℔j.*

Coquantur igne lento per quadrantem horæ, dein cola,  
 & in collatura adde

*Oxymellis Sciliciti* ℥ij.

Misce, & fiat Apophlegmatisma S. A.

In affectibus soporosis, & frigidis cerebri prodest, incidit, attenuat, atque evacuat pituitam crassam, & viscidam glandularum.

**R** GARGARISMA ANTI-SCORBUTICUM,

*Radicis Rubiæ tinctorum* ℥j.  
*Herbarum Salviæ,*  
*Nasturtii,*  
*Becabungæ,*  
*Aquilegiæ,*

*Radicis Pyrethri,*  
*Corticum VVinterani . . . . . ana ℥ij*

*Omnia incisa, & contusa, in*  
*Aquæ Calcis tepidæ* ℔ij ℔.

Leviter ebulliant, S. A. postea decoctum cola, colaturæ adde

*Spiritus Cochleariæ* ℥ij.  
*Mellis Rosati* ℥jv.

Misce optimè ad usum.

Corruptelam, & foetorem, putredinemque gingivarum, & oris in scorbuticis, ac ulcera ab ipso humore producta, sanat.

## CAPUT XI.

## DE COLLYRIIS.

**C**ollyrium est medicamentum, quod externè oculis admovetur, est liquidum, vel siccum.

Liquidum ex aquis stillatis, infusionibus, vel aliis liquoribus, ac pulveribus paratur, vel ex axungijs, sive aliis unctuosis, seu pinguedinosis, cum pulveribus idoneis permixtum.

Collyrium siccum est tuthia præparata, trochisci Rhasis, saccharum cantum, vitriolum album, saccharum Saturni, & similia, quæ subtiliter pulverisata, & penna suscepta, oculis insufflantur.

**R**... COLLYRIUM OPHTHALMICUM.

<i>Aque Chelidonii majoris,</i>	
<i>Feniculi,</i>	
<i>Euphrasie,</i>	
<i>Rosarum . . . . . ana</i>	$\mathfrak{z}j.$
<i>Tuthie præparate</i>	$\mathfrak{z}j.$
<i>Sacchari Saturni</i>	$\mathfrak{z}j.$

*Misce optimè.*

In inflammationibus oculorum plurimum confert, resolvit, ac attenuat humores, & ab eis oculos mundificat.

**R**... COLLYRIUM ROBORANS.

<i>Vini albi optimi</i>	$\mathfrak{lb}iij.$
<i>Aquarum Rosarum</i>	$\mathfrak{z}xviij.$
<i>Chelidonii,</i>	
<i>Feniculi,</i>	
<i>Euphrasie,</i>	
<i>Rutæ . . . . . ana</i>	$\mathfrak{z}ij.$

*Tuthie*

<i>Tuthie preparatę</i>	ʒ ij.
<i>Caryophyllorum pulveratorum</i>	ʒj.
<i>Sacchari canti</i>	ʒ ʒ.
<i>Aloes succotring,</i>	
<i>Myrrhę,</i>	
<i>Macis</i> .....	ana ʒ ij.
<i>Camphorę,</i>	
<i>Croci</i> .....	ana ʒ ij.

Omnia simul mista lagena vitrea diligenter obturata excipiantur, per quindecim dies insolentur, bis in die agitando, & sic ad usum serva.

Visum acuit, ejus dibilitati mirè confert, & in omnibus ferè oculorum morbis pro præsentaneo medicamento habetur.

COLLYRIUM, SEU AQUA OPHTHALMICA

Coerulea.

<b>R</b> ... <i>Aquę Calcis vivę filtratę</i>	ʒj.
<i>Salis Ammoniaci</i>	ʒj.

Misce, & in pelvim æneam injice, illic per noctem desine, ac liquor iam cœruleus filtretur, & reponatur.

Mundificat, & exiccat oculorum ulcuscula, ac humorem crassum, cataractas producentem resolvit.

COLLYRIUM DETERGENS.

<b>R</b> ... <i>Pulveris Iridis florentinę</i>	ʒ iij.
<i>Vitrioli albi</i>	ʒ j ʒ.
<i>Aquarum Rosarum,</i>	
<i>Plantaginis</i> . . . .	ana ʒ ij.

Omnia in vase vitreo idoneo injiciantur, per biduum digerantur, dein per chartam emporeticam filtretur liquor ad usum servandus.

COLLYRIUM, SIVE TINCTURA OPHTHALMICA.

<b>R</b> ... <i>Herbarum recentium Rutę,</i>	
<i>Euphrasie,</i>	
<i>Fœniculi,</i>	
<i>Chelidonii</i> . . . .	ana ʒ ij.

Omnia contusa immittantur in vas fictile vitreatum, & optimè claufum, in loco calido per dies quatuor digerantur, dein per B. M. diftillantur ad ficcitatem ufque, & ter hæc operatio (cohobando) reiteretur, poftèa aquæ fpirituofæ ita præparatæ adde

*Spiritus Vini* ℥ jv.

*Lapidis hæmatitis* ℥ ij.

*Sacchari Saturni* ℥ j.

*Camphoræ* ℥ ij.

*Croci metallorum,*

*Tuthiæ preparatæ . . . ana* ℥ iij.

*Auri fridentis minutim fecti* ℥ ss.

Misce optimè, & in lagenam vitream ritè obturatam immittantur, ac in loco calido per quindecim dies digerantur, dein filtra, & ferva ad ufum.

Valet in omnibus oçulorum affectibus, tam in nubeculis, quàm in cataractis incipientibus, vifum etiam acuit, atque roborat.

### R... COLLYRIUM LANFRANCI.

*Auripigmenti* ℥ ij.

*Viridis eris* ℥ j.

*Myrrbæ,*

*Aloes . . . . . ana* ℥ ij.

*Terantur subtiliffimè, & diluantur in*

*Vini albi optimi,*

*Aquæ Plantaginis,*

*Rofarum . . . . . ana* ℥ iij.

Misce optimè, & ferva.

Hic liquor non verè collyrium vocatur; fed impropiè, quia in oçulorum affectibus nequaquam infervit, & ad ulcera detergenda folùm ufurpatur.

### R... UNGUENTUM OPHTHALMICUM.

*Butyri Porcini recentis, & loti* ℥ ij.

*Pulveris Cerufe preparatæ* ℥ ss.

*Tuthiæ preparatæ,*



*Campborę . . . . . ana ʒj.*

*Succi limonum recentis ʒʒ.*

Misceantur optimè in mortario marmoreo, & usui ser-  
ventur.

In cataractis incipientibus, & calidis inflammationi-  
bus, ac dolorosis pro specifico habetur.

**R. . . . . COLLYRIUM SICCUM.**

*Sacchari canti ʒ ij.*

*Tuthię preparata ʒʒ.*

*Aloes Succotring,*

*Iridis florentię . . . . . ana ʒʒ.*

Omnia subtilissimè pulverifata, & benè permista pro col-  
lyrio sicco servantur.

Cataractas incipientes, seu nebulas dissipat, oculos à  
sanie detergit, visumque acuit, & roborat.

*Dosis à gr. ij ad gr. jv.*

Penna suscepta oculis insufflantur.

**C A P U T XII.**

*DE CLYSTERIBUS, SEU ENEMATIBUS.*

**C**lyster, seu Enema est medicamentum liquidum, quod  
per Syringam, seu Clysterium per anum in intesti-  
na immittitur.

Conficitur ex multis decoctis, succis, oleis, pinguedi-  
ne, lacte, sero lactis, jusculis, confectionibus, electuariis, &  
aliis, quæ scopo satisfaciunt, & fluiditatem non impediunt.

**R. . . . . CLYSTER EMOLLIENS.**

*Decocti emollientis ʒ x.*

*Mellis violati,*

*Olei liliorum alborum . . . . . ana ʒ ij.*

Misce, & fiat Clyster ad usum.

Emol-

Emollit, humectat fœces exiccatas, & duras, ac in his, qui alvum adstrictam habent, prodest.

## CLYSTER CARMINATIVUM.

R... <i>Decocti Carminantis</i>	℥x.
<i>Electuarii Baccarum lauri</i>	℥ss.
<i>Olei Anisi distillati</i>	ʒss.
<i>Mellis Rutę</i>	℥ij.

Misce, & fiat Clyster.

In dolore colico (à frigida causa) producto, & aliis similibus affectibus usurpatur.

## CLYSTER ADSTRINGENS.

R... <i>Radici tormentillę,</i>	
<i>Corticum granatorum . . . ana</i>	℥ss.
<i>Baccarum Myrtillorum,</i>	
<i>Rosarum Rubrarum,</i>	
<i>Balauftiarum . . . . . ana</i>	℥iij.

*Omnia contusa in*

*Aquę ferratę tepidę* ℥ij

coquantur per semihoram, igne lento, S. A. & decoctum refrigeratum, coletur.

R... <i>Hujus decocti</i>	℥x.
<i>Pulveris gummi arabici,</i>	
<i>tragacanthi . . . . . ana</i>	℥j.
<i>Amyli</i>	℥j.

Misce optimè, & fiat clyster ad usum.

In omnibus alvi fluxibus plurimum confert.

## CLYSTER IN APOPLEXIA.

R... <i>Herbarum Abrotani,</i>	
<i>Origani,</i>	
<i>Rutę,</i>	
<i>Salvię . . . . . ana</i>	m.ʒ.
<i>Seminis Anisi,</i>	
<i>Seseleos . . . . . ana</i>	℥iij.

*Omnia incisa, & contusa in*

*Aquę*

P A R S S E C U N D A .

159

*Aqua fontane tepide* ℥ij

leviter decoquantur S.A. igne lento, postea decoctum cola.

R... *Ejus Colature* ℥x.  
*Mellis Rutæ* ℥ij.  
*Salis ammoniaci* ℥ij.  
*Olei Castorei* ℥j ℞.

Misce, & fiat clyster ad usum.

In apoplexia, epilepsia, lethargo, similibusque affectibus confert.

C A P U T X I I I .

D E I N J E C T I O N I B U S .

**I**njectio est Medicamentum liquidum, quod per Syringam in quascumque corporis partes immittitur.

Paratur ex liquoribus idoneis, nempe aquis distillatis, succis, decoctis, infusionibus, tincturis, & similibus.

I N J E C T I O A N O D I N A .

R... *Lactis recenter emulsi* ℥ij.  
*Liquoris albuminis ovi conquassati* ℥℞.

*Succi lactuce,*

*Olei Amygdalarum dulcium sine igne . . ana* ℥ij.

Misce optimè ad usum.

Ad aurium dolorem, & inflammationem mitigandam, tepidè usurpatur.

I N J E C T I O A D S T R I N G E N S .

R... *Aqua Plantaginis,*  
*Rosarum rubrarum,*  
*Aluminosa . . . . . ana* ℥jv.  
*Lapidis Medicamentosi* ℥ij.

Misce, & fiat injectio S. A.

Tepidulè applicanda, ad gonorrhœam sistendam confert.

IN-

**R**... INJECTIO VULNERARIA.*Radicis Aristolochiæ*

℥j.

*Contunde, & in**Vini albi optimi*

℞ j ℞.

Decoquatur igne lento per quadrantem horæ S. A. deinceps cola, colaturæ adde

*Mellis Rosati*

℥j ℞.

*Tincturæ Myrrhæ,**Aloes . . . . . ana ℥ ij.*

Misce optimè.

Tepidè ulceribus applicanda est propria ad resolvendos, &amp; detergendos humores putridos, &amp; gangrænam impediendam.

**R**... INJECTIO BENEDICTA.*Aquæ Calcis*

℥ viij.

*Mercurii dulcis*

℥ iij.

Misce exactissimè in mortario marmoreo diu agitando.

Efficax admodum est ad virgæ ulcera, gonorrhœam, &amp;c.

## C A P U T XIV.

DE SUPPOSITORIIS, BALANIS, SEU  
Glandibus.**S**uppositorium, Glans, Balanus est medicamentum solidum externum ano dicatum, figura tereti, & rotunda paratum.

Duplex est, simplex, &amp; compositum.

Simplex fit ex radice, vel caudice betæ, brassicæ, candela cerea oleo inuncta, saponè, melle solo ad duritiem costæ, &amp; similibus.

Compositum verò conficitur ex melle, sale gemmeo, sive communi, trochiscis Alhandal, diacrydio, &amp; aliis.

SUP;

## R... SUPPOSITORIUM COMMUNE.

*Mellis*  $\bar{z}$  ij.  
Coque ad duritiem, igne lento, addendo sub finem

*Salis gemme*  $\bar{z}$  ij.

Misce optimè, & formentur duo suppositoria, filo appensa.

## R... SUPPOSITORIUM IRRITANS.

*Trochiscorum Albandal,*

*Scammonii pulveratorum... ana*  $\bar{\theta}$   $\beta$ .

*Salis gemme*  $\bar{z}$  j.

Misce, & cum sufficienti mellis quantitate (*hoc est*  $\bar{z}$  j) ad duritiem cocti, fiat suppositorium filo appensum.

In morbis soporosis, & aliis similibus affectibus, valdè idoneum.

## DE PESSARIO.

Pessarium, seu Nascale est medicamentum forma solidum, oblongum, & rotundum ad figuram, & molem digiti factum, quod in vulvam muliebrem immittitur.

Componitur ex variis simplicibus secundum varias intentiones, tribusque paratur modis, nempe ex gossipio in prædictam figuram concinnato, oleis, sive unguentis appropriatis inuncto: vel ex panno lineo, aut sericeo in quo medicamenti materia includitur.

Vel ex pulveribus, & aliis in formam solidam compactis; debet cuilibet pessario filum appendi, ut extrahi possit.

## R... PESSARIUM ANTI-HYSTERICUM,

*Pulveris hiera picre,*

*Agarici* ..... ana  $\bar{z}$  j.

*Sabinæ,*

*Myrrhæ* ..... ana  $\bar{z}$  iij.

*Castorei*  $\bar{z}$   $\beta$ .

Misce, & cum melle rutaceo fiat massa mollis, ex qua cum gossipio formentur duo pessaria filo appensa.

Ad humores crassos expurgandos in utero contentos, & ad menstrua movenda applicatur.

## ALIUD.

**R**... *Pulveris Aristolochia,*  
*Dictamni Cretici,*  
*Sabina . . . . . ana ℥jss.*  
*Hiera picra ℥iij.*

Misce optimè, & cum melle rutaceo fiant duo pessaria S. A.

Ad expellendas secundinas, & ad alia inferviunt.

## CAPUT XV.

## DE ERRHINIS.

**E**rrhinum, seu Nasale est Medicamentum, quod in nares (capitis purgandi gratia) immittitur, & quod absque sternutatione sæpe operationes suas absolvit.

Et est vel liquidum, vel siccum; liquidum est, succus betæ, iridis, &c. paratur etiam ex decoctis betonice, majoranæ, & similia.

Siccum, seu solidum componitur ex nicotianæ foliis circumvolutis, & aliis compositis adaptatis, quæ in nares immittuntur.

**R** ERRHINUM CEPHALICUM, SEU CAPITALE.

... *Decocti Majorana,*  
*Beta cum vino albo facti ℥vj.*

Tepidè prono capite, & aqua ore pleno, naribus attractatur, ter, quaterve jejuno stomacho.

Ad expurgandum cerebrum à crassis, & viscidis humoribus prodest.

**R** ERRHINUM ANODINUM.

... *Foliorum Lactuca,*  
*Solani,*  
*Plantaginis . . . . . ana m. j.*

*Incidentur, & in*

*Aquæ*

*Aque simplicis tepidæ* ℥ ij

coquantur per quadrantem horæ, addendo in fine

*Florum Nymphææ,**Violarum . . . . . ana m. ℔.*

Iterum levi ebullitione percoquantur, &amp; decoctum refrigeratum coletur.

In omni phrenitide, atque delirio, à frigida causa producto confert.

**R**... ERRHINUM SOLIDUM ADSTRINGENS.*Boli armenæ,**Terræ sigillatæ,**Sanguinis Draconis . . . . . ana ℥ j.**Sacchari Saturni . . . . . ℥ j.*

Subtiliter terantur, &amp; cum urticæ succo, &amp; ovorum albumine formentur penicilli; in nares immittendi.

In hæmorrhagiis narium, &amp; aliis sanguinis fluxibus sistendis profert.

## DE MASTICATORIIS.

Masticatorium est Medicamentum saporis acris ad masticandum aptum, &amp; ita proprium ad lympham crassam capitis expurgandam.

Aliud est simplex; aliud compositum: simplex, vel integrum, vel concisum, &amp; dentibus masticatur, ut Nicotiana, Pyrethrum, Salvia, &amp; similia.

**R**... MASTICATORIUM COMPOSITUM.*Radiciſ Pyrethri,**Seminis Sinapis . . . . . ana ℥ iij.**Masticheſ . . . . . ℥ ij ℔.**Radiciſ Iridiſ,**Zingiberiſ . . . . . ana ℥ j.**Fiat omnium pulvis subtiliſſimus, & cum**cera citrina liquata . . . . . ℥ ij*

Miscantur optimè, &amp; fiat massa, ex qua globuli formentur ponderis drachmarum duarum.

Masticatum sputum movet, lympham crassam dissolvit, atque evacuat.

## CAPUT XVI.

## DE EPITHEMATIBUS.

**E** Pithema est Medicamentum externum, ex aquis distillatis, succis, spiritibus, tincturis, acetis, oleis, pulveribus, & confectionibus appropriatis, secundum morborum constitutionem combinatum.

**R**... EPITHEMA LIQUIDUM CORDIALE.

<i>Aque Naphe,</i>	
<i>Rosarum</i> . . . . .	<i>ana</i> ℥ jv.
<i>Vini albi optimi</i>	℥ ij.
<i>Theriaca Magnæ</i>	℥ ij.
<i>Camphoræ</i>	℥ ij.

Misce S. A. & fiat Epithema, in quo pannum insuccatum, ac leviter expressum cordis regioni, tepidulè ter, quaterve in die admoveatur.

**R**... EPITHEMA CARDIACUM.

<i>Aque theriacalis,</i>	
<i>totius Citri,</i>	
<i>Succi Pomorum redolentium..</i>	<i>ana</i> ℥ jv.
<i>Tincturæ Alchermes</i>	℥ iij.
<i>Elixirii vitæ</i>	℥ ij.

Misce, & fiat Epithema, quod tepesfactum cordi applicetur.

**R**... EPITHEMA CEPHALICUM CORDIALE.

<i>Aque Reginae Ungariæ</i>	℥ vj.
<i>Tincturæ Croci,</i>	
<i>Ligni Aloes</i> . . . . .	<i>ana</i> ℥ j.
<i>Balsami Apoplectici</i>	℥ ij.
<i>Olei Caryophyllorum</i>	℥ ij.

Misce exactè, & pannum imbutum, leviterque expressum cordis regioni applicetur.

Valet



Valet aduersus animi deliquia, & cordis palpitationem;  
sed in affectibus hysteris, & hypochondriacis nocet.

**R...** EPITHEMA SOLIDUM CORDIALE.

*Unguenti Cordialis* ʒ x.  
*Theriaca Magnæ* ʒ ij.  
*Pulveris aromatici rosati* ʒ ij.

Cum elixirio Camphoræ fiat pulmentum pro epithemate,  
EPITHEMA LIQUIDUM CORDIALE PRO FOEMINIS,  
feu hystericum.

**R...** *Aque theriacalis,*  
*Melissæ Camphorata,*  
*Rutæ . . . . . ana ʒjv.*  
*Tinctura Castorei,*  
*Croci, & Myrrha ana ʒj.*

Misce, & fiat epithema, in quo pannum insuccatum, leuiterque expressum regioni Cordis tepidum imponatur.

**R...** EPITHEMA SOLIDUM HYSTERICUM,

*Unguenti Cordialis* ʒj.  
*Theriaca Magnæ* ʒj.  
*Tincturæ Castorei,*  
*Croci . . . . . ana ʒj.*  
*Olei Succini non rectificati* ʒj.

Misce optimè, & in panno extenso cordi admovetur.  
In omnibus affectibus hysteris confert.

## C A P U T X V I I.

### DE B O L I S.

**B**olus est Medicamentum internum, consistentiam electuario crassiorum habens, ex variis medicamentis compositum.

Notandum, quòd ad drachmas duas, vel ad summum ad semiunciam præscribi debet, ut commodè ore excipi possit

166 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.  
fit, ne magna boli quantitas nauſam ægrotanti concitet.

**R**... BOLUS PURGANS.

*Conſervæ Borraginis ex floribus* ℥ ij.  
*Pulveris Diacrydii* gr. xij.  
*Arcani duplicati* gr. vj.

Misce, & fiat bolus pro una doſi.

Omnes, abſque moleſtia, expurgat humores.

**R**... BOLUS ANODINUS ADSTRINGENS.

*Diaſcordii* ℥ j.  
*Pulveris radicis tormentillæ,*  
*Coralli rubri . . . . . ana* ℥ ſ.

Misce pro una doſi.

Virtute anodina, & adſtringenti pollet, ideò in ſiſtendis alvi fluxibus conſert.

## CAPUT XVIII

### DE PULPIS.

**P**ulpa eſt pars carnoſa, & depurata quorundam fruſtuum, quæ ſola, vel ſaccharo permiſta in officinis aſſervatur.

**R**... PULPA CASSIÆ FISTULÆ.

*Siliquarum Caſſiæ fiſtula* q. v.

Aperiantur, & contentam in eis medullam, ſeu pulpam cum laminis, ac feminibus evaqua, quæ, in vaſe fictili vitreato, aqua tepida, cum ſpathula lignea, parùm agitetur, ut molleſcat; tunc per cribrum equinum trajiciatur, quouſque de pulpa nihil amplius relinquetur: Hujus Pulpæ collige libram unam, & cum ſacchari pulveriſati ℥ vj. permiſtæ, ad uſum ſerva.

Sed nota, quòd per multos dies non aſſervari debet, nam ejus virtus facilè evaneſcit: ideòque in operationibus retardatur, ſive pigra eſt, & ad internos uſus pulpa præfertur recens.

Hume-

Humectat, lenit, & alvum benignè laxat, ac in renum affectibus, & vesicæ prodest.

*Dosis ab ℥j ad ℥jss.*

*Pulpa Tamarindorum eodem paratur modo.*

## CAPUT XIX.

### DE ELEOSACCHARIS.

**E**leosaccharum est Medicamentum solidum, oleis distillatis compositum, saccharo pulverisato permistis.

#### R... ELEOSACCHARUM CITRI.

*Olei distillati corticum Citri* ℥j.

*Pulveris sacchari albisimi* ℥ij.

In mortario marmoreo, seu vitreo, probè misceantur, & ad usum in vase benè obturato serventur.

Cor, & stomachum roborat, pariterque cœtionem juvat.

*Dosis ab ℥ss. ad ℥j.*

Eadem methodo fiunt Eleosacchara nempe

*Cinnamomi.*

*Nucis Moschatæ.*

*Mastiches.*

*Anisi.*

*Succini.*

*Thuris.*

*Gummi Ammoniaci.*

*Fœniculi,*

*& similia.*

## CAPUT XX.

## DE SUFFITIS, SEU SUFFIMENTIS.

**S**uffimentum est Medicamentum siccum, vel humidum, quod igni admotum, in vaporem reducitur.

Siccum ex varijs formulis variè denominatur: scilicet pulveres, bacilla, candelæ, rotulæ, &c.

Suffimentum humidum, vapor est, ex liquore nempè decocto, aceto, vino, aqua rosata, & similibus, ex olla, vi caloris, spirans.

**R... SUFFIMENTUM SICCUM CAPITALE.**

*Styracis Calamite,*

*Benzoini ..... ana ℥ ℥.*

Cum sufficienti vini spiritus quantitate, rotulæ conficiantur, quibus super ignem injectis, fumigentur: tecto capite, vapores naribus & ore hauriat æger in lecti ingressu.

Ad caput roborandum, in frigida, & humida intemperie prodest.

**R... SUFFIMENTUM ANTI-HYSTERICUM.**

*Affè fatidæ* ℥ ℥.

*Pulveris Cassorei* ℥ j.

Cum sufficienti olei succini quantitate fiant rotulæ ad usum.

Hic fumus instante paroxyfmo, per nares admissus, quasi momento Mulieres suffocatas restituit.

## C A P U T X X I .

## D E D E N T I F R I C I I S .

**D**entifricium est Medicamentum siccum, seu liquidum, quo dentes fricantur, aut dealbandi, aut fortificandi gratia.

**R...** DENTIFRICIUM SICCUM.

*Lapidis pumicis,*  
*Osium sepię,*  
*Cremoris tartari,*  
*Sanguinis Draconis,*  
*Coralli Rubri . . . . . ana ℥ ʒ ʒ.*  
*Iridis florentię . . . . . ℥ ij.*

*Fiat omnium pulvis, addantur.*

*Olei Caryophyllorum . . . . . ʒt. xij.*

Omnia benę permista inter pannum lineum immittantur, quo dentes fricentur, postea vino, aqua, aliove liquore os colluatur.

Valet ad dentes dealbandos, & ab eis putredinem auferendam.

**R...** DENTIFRICIUM ANTI-SCORBUTICUM.

*Radicis Pyrethri,*  
*Corticis VVinterani,*  
*Macis . . . . . ana ℥ ij.*

*Terra Catechu,*  
*Aluminis usi . . . . . ana ℥ j.*

Omnia pulverisentur, & cum sufficiente rosati mellis quantitate, fiat pasta mollis, qua dentes fricantur.

In putredine gingivarum, & earum scorbuto prodest.

Nota, quod dentifricium liquidum est liquor acidus, nempe spiritus sulphuris, nitri, vitrioli, &c.

Ejus usus est cum pauco gossipii in liquore immerfi,

dentes fricari, vt mundentur; sed cautè, nam facilitè corrosionem inducit, atque stuporem.

## C A P U T XXII.

### DE FRONTALI.

**F**rontale est medicamentum externum ex variis medicamentis compositum, formam epithematis, emulsionis, & pulmenti habens, quod frequenter ad capitis dolorem, ac ardorem frontis applicatur.

#### R... FRONTALE ADSTRINGENS.

*Pulveris boli armena,*  
*Rosarum,*  
*Terræ sigillatæ . . . . ana ʒj.*  
*Mastiches* . . . . . ʒß.  
*Salis Saturni* . . . . . ʒj.

Misce, & cum albumine ovi, & parum aquæ rosarum agitentur, ut fiat pulmentum, quod in stupis cannabinis extendatur, temporibus & fronti admovendum.

Ad fluxiones in aures, & oculos sistendas valet; ac narium hæmorrhagiis confert.

#### R... FRONTALE ANODINUM.

*Pulveris florum Nymphææ,*  
*Rosarum Rubrarum . . . . ana ʒij.*  
*Unguenti populeonis* . . . . . ʒß.

Cum sufficienti olei solani quantitate fiat linimentum, quod extensum in stupis cannabinis fronti, & temporibus applicetur.

Ad capitis dolorem, fervoremque mitigandum, & somnum conciliandum, valet.

## C A P U T XXIII.

## DE CUCUPHIS, ET SEMICUCUPHIS.

**C**ucupha est Medicamentum ficcum, seu tegumentum capitis, ex cephalicis magis odoratis, quæ in pulverem redacta, gossipio excepta inter pannum sericum interpunctantur.

**R**... CUCUPHA ROBORANS.

*Iridis florentiæ,*

*Santali Citrini. . . . . ana ʒß.*

*Caryophyllorum,*

*Macis. . . . . ana ʒ j.*

*Benzoini,*

*Styracis Calamitiæ . . . ana ʒ iij.*

*Florum roris marini,*

*Stæchados. . . ana ʒ vj.*

Fiat omnium pulvis, qui excipiatur bombace ad Cucupham capiti applicandam.

In capitis doloribus ab intemperie frigida natis, confert: calorem namque nativum roborat.

Nota, quòd dum capitis pars anterior, vel posterior, dextra aut sinistra dolet, tunc ex eisdem pulveribus semicucupha paratur, quæ parti affectæ erit adhibenda.

## C A P U T XXIV.

## DE SCUTIS.

**S**cutum est Medicamentum solidum ex emplastris, balsamis, & aliis factum, & super alutam extensum, ac formam scuti referens.

**R** SCUTUM COMMUNE PRO STOMACHO.*Emplastri stomachiconis*

℥j.

Extende super alutam S. A. quod irroratum guttulis balsami nigri, tepidum stomacho applicetur.

Stomachum roborat, & coctionem iuvat.

**R** SCUTUM ALTERUM.*Emplastri Mastiches,**Olei Mariæ* . . . . . ana ℥ß.

Misce optimè, & super alutam extendantur ad scuti formam, irroretur guttulis essentiaë Menthaë, & pulveribus aromaticis rosatis S. A.

Ad ventriculum frigidum, & imbecillum calefaciendum, & roborandum valet.

Altera in officinis concinnantur emplastra ad diversas corporis partes roborandas, nempe ad ventris regionem, umbilicum, & alia, sicut

## EMPLASTRUM ADSTRINGENS AD VENTRIS

regionem.

**R**... *Emplastri diaphænici*

℥iij.

*Theriace magnæ*

℥j.

*Pulveris Mastiches*

℥ß

Misceantur optimè, & super alutam rotundam extendantur, quod totius ventris regioni applicetur.

In diarrhœa, dysenteria, & aliis alvi fluxibus inservit.

**R** EEMPLASTRUM PRO UMBILICO.*Emplastri pro Matrice*

℥ß.

Extende in alutam S. A. & fiat emplastrum, irrigatum guttulis olei succini, ac pulveribus castorei, quod regioni umbilici applicetur.

**R** EEMPLASTRUM ANTI-HYSTERICUM.*Gummi assæ fetida,**Galbani* . . . . . ana ℥ij.

Cum sufficienti tincturaë Castorei quantitate malaxentur, & in alutam extendantur, ut S. A. fiat emplastrum pro umbilici regione.

Ad



Ad hystericas passiones debellandas plurimum confert.

## CAPUT XXV.

DE FOTIBUS, SEU FOMENTIS,  
& Embrochationibus.

**F**otus, seu fomentum, est Medicamentum omne, quod foris corpori, calidè admotum, blandè ipsum fovet, & calefacit.

Triplici applicatur modo, & ideò vaporosum dicitur, dum cujuscumque liquoris vapores, seu halitus à parte affecta excipiuntur.

Humidum nuncupatur, quòd liquor, aut decoctum variis corporis partibus, beneficio lintei, spongiæ, vel vesicæ calidè, fovendi gratia, applicatur.

Siccum verò appellatur, quòd species aliquæ facculo lineo interfuto, includuntur, hicque facculus, spiritu aliquo penetratori irroratus, & probè calefactus, parti affectæ adhibetur.

Dicitur, autem embrochatio, quando corporis pars liquore aliquo irrigatur.

**R**... FOTUS ANODINUS.

*Foliorum Lactuce,*  
*Florum Nymphaeae,*  
*Summitatum Betonicae . . . ana m. j.*  
*Capitum papaveris . . . n. j.*  
*Aquæ communis . . . ℥ j β.*

*Fiat omnium Decoctio S. A.*

Anodinus est, & somnum producit, capiti impositus.

FOTUS AD DISLOCATIONES,  
& contusiones.

**R**... *Summitatum roris marini,*  
*Lavendulae,*

*Chamemeli,*  
*Rosarum rubrarum* . . . . . ana p. j.  
*Baccarum Juniperi* . . . . . ℥j.  
*Seminis Carvi,*  
*Cumini* . . . . . ana ℥ij.  
*Incidantur, & crassè contendantur, ac in*  
*Vini rubri* . . . . . ℔ij.

Paulisper decoquantur igne lento, & vase clauso, postea cola, & spongia, vel linteam duplicatum, in eo madefactum loco affecto calidè applicetur.

Ossa laxata firmat, nervos, & ligamenta roborat, tumores à contusionibus productos resolvit.

FOMENTUM SICCCUM ANTI-HYSTERICUM,  
& Colicum.

**R**... *Herba Mentha,*  
*Florum Chamemeli* . . . . . ana m. ij.  
*Baccarum lauri,*  
*Seminis Ammeos,*  
*Cumini* . . . . . ana ℥ss.

Grossè triturrata, gossipio excepta, & sacculo rotundo inclusa, regioni umbilici calidè adhibeantur.

Flatus ab humoribus crassis ortos, potenter resolvit.

FOTUS VAPOROSUS ANTI-HÆMORRHOIDALIS.

**R**... *Foliorum Verbasci,*  
*Hyosciami albi,*  
*Florum Chamemeli* . . . . . ana m. ij.  
*Seminis Lini* . . . . . ℥ij.  
*Injiciantur omnia in*  
*Aquæ communis tepidæ* . . . . . ℔vj.

Decoquantur igne lento per quadrantem horæ, postea sine colatura ad usum porrigatur; cujus vapor in sella, undique clausa, à parte affecta recipiatur.

Arocinus est: humores acres, & crassos dulcorat, atque resolvit.

**R** FOTUS ANTI-COLICUS.

... *Florum Chamemeli* ℥ij.  
*Baccarum Juniperi,*  
*Lauri . . . . . ana ℥j.*  
*Seminis feniculi,*  
*Anisi,*  
*Carvi,*  
*Cumini,*  
*Salis Ammoniaci . . . ana ℥℥.*  
*contundantur, & in*  
*Aqua Communis tepida* ℥jv.  
*Levi ebullitione decoquantur igne lento, postea cola, & in co-*  
*latura adjice*  
*Aqua vite rectificata* ℥j  
*Misce, & ad usum porrige.*  
 In doloribus colicis mitigandis, & demulcendis pro-  
 deest, maximè à causa flatulenta productis.

CAPUT XXVI.

DE BALNEIS, SEU LOTIONIBUS.

**B** Alneum est Medicamentum liquidum ex aqua simpli-  
 ci, vel decoctis, lixivis, & similibus compositum pro  
 corpore potissimum medicando, ac detergendo.

Lotio verò communiter vocatur, quando solùm aliqua  
 corporis pars lavatur.

**R** BALNEUM AD REFRIGERANDUM.

... *Foliorum violarum,*  
*Malvarum,*  
*Solatri . . . . . ana fasc. ℥.*  
*Florum Violarum,*  
*Nymphae . . . . . ana m. jv.*

Fiat

Fiat omnium decoctio S. A. in sufficienti aquæ fontanæ quantitate pro balneo, in quo æger tepidè ingrediatur manè, & vesperè, quod repetendum prout opus fuerit.

Humectat, refrigerat, ac in calidis affectibus, renum ardore, dysuria, & in febre hectica prodest.

**R...** BALNEUM NITROSUM.

*Nitri optimi* ℥jv.

*Herbarum Betonica,*

*Origani,*

*Salvia,*

*Rute . . . . . ana m.iiij.*

*Florum Chamameli,*

*Rosarum Rubrarum . . . . . ana ℥ij.*

*Omnia incisa in*

*Aquæ communis tepidæ* ℥xvj.

*Paulisper decoquantur igne lento, postea cola, colaturæ adde*

*Vini albi optimi* ℥jv.

*Misce, & fiat Balneum pro pedibus.*

De hoc utatur æger manè, & vesperè ad humores phlegmaticos in articulis hærentes, dissolvendos, necnon ex supernis partibus ad infernas eliciendos.

**R...** BALNEUM AD PARALYTICOS.

*Herbarum Pulegii,*

*Salvia,*

*Hyssopi,*

*Anthos,*

*Chamameli . . . . . ana fasc.ß.*

*Florum Stæchados,*

*Roris marini,*

*Lavendulæ . . . . . ana p.jv.*

*Salis gemmei* ℥ß.

*Sulphuris communis* ℥j.

Fiat omnium decoctio in sufficienti aquæ simplicis quantitate S. A. pro balneo, in quo æger tepidè ingrediatur.

Inaffectibus paralyticis confert, maxime à frigida causa  
pro-

productis, & lymphæ crassa, viscidaque in articulis infarta: nam suis particulis subtilioribus alkalino-balsamicis, dissolvit, discutit, & partes ipsas roborat.

CAPUT XXVII.

DE SPARADRAPIS.

**S**paradrapus, seu tela emplastica, est linteum emplastro quovis ad ignem liquato immersum, extensum, refrigeratum, & supra porphyritem positum.

SPARADRAPUS PALLIDUS.

**R**... *Emplastri diapalmæ, sine chalcitide* ℥ ij.  
*Ceræ pallidæ* ℥ ss.

Liquefiant igne lento, & lintea tunc paulatim immergantur, posteaque refrigerata, supra porphyritem pistillo aëneo, vel vitreo poliantur, ac ad usum ferventur.

SPARADRAPUS ALBUS.

**R**... *Emplastri Geminis, seu Cerussæ, vel*  
*Diachyli minoris* ℥ ij.  
*Ceræ albæ* ℥ ss.

*Omnia igne lento liquefiant, dein adde*  
*Pulveris Cerussæ* ℥ viij.  
*Misce optimè, & fiat, ut supra.*

SPARADRAPUS RUBER.

**R**... *Emplastri diapalmæ supra dicti* ℥ ij.  
*Ceræ albæ* ℥ ss.

*Ignem lento liquatis, adde*  
*Pulveris Minii* ℥ viij.

*Misce, & fiat Sparadrapus S. A. ad usum.*  
*Eorum usus præsertim in fonticulis est.*

TELA EMPLASTICA PRO PECTORE.

**R**... *Emplastri filii Zachariæ* ℥ j.  
*Spermatis Ceti* ℥ ij.

*Olei amygdalarum dulcium* ℥ iij.

*Cerę albę* ℥ ß.

Omnia igne lento liquefacta: pannum linteum in eis immergatur, quod tepidè pectori applicetur.

Valet in tussi catarrhali, & vocis rauedine; etiam pro mammarum lacte concreto dissolvendo, infervit.

## CAPUT XXVIII.

### DE CATAPLASMATIBUS.

**C**ataplasmata, seu Malagma est medicamentum topicum ex variis pulveribus, pulpis, oleis, axungijs, unguentis, &c. compositum, pultis consistentiam habens.

#### CATAPLASMA EMOLLIENS.

**R**... *Radicis Althęę* ℥ ij.

*Incidantur, ac in*

*Aqua ferrata* ℥ jv.

*percoquantur, tunc adde*

*Foliorum malvarum* ℥ jv.

Bulliant pariter ferè ad humiditatis consumptionem, dein pistentur, ut instar pulpę paulatim extrahatur, addendo in fine

*Butyri recentis* ℥ ij.

*Vitellorum ovorum* n. ij.

*Misce optimè ad usum.*

Maturat, digerit, emollit, & suppurat, & in ulceribus quoque infervit.

#### CATAPLASMA CRUSTÆ PANIS.

**R**... *Crustę panis torrefacti* ℥ jv.

Macerentur in aceto acerrimo, aut succo agrestę ad mollitiem usque: postea pistentur in mortario lapideo, & addantur sequentia:

*Pulveris Mastiches,*

*Mentha,*

*Santali Rubri,*

*Citrini,*

*Coralli rubri preparati ... ana ℥ ij.*

*Olei Mastiches,*

*Cydoniorum . . . . . ana ℥ j ℞.*

Misceantur optimè, & cum sufficienti farinae hordei quantitate fiat cataplasma ad usum.

Valet maximè ad stomachi imbecillitatem, ejusque roborationem: vomitus, & diarrhoeas sistit.

CATAPLASMA, SEU EMPLASTRUM  
farinarum.

R. *Farina fabarum,*

*Hordei . . . . . ana ℥ j.*

*Oxymellis simplicis ℥ iij.*

*Pulveris boli armene ℥ jv.*

Misce, & super ignem lentum ponantur, ut calefiant, ac incorporentur, spatula frequenter agitando.

Chirurgi utuntur hoc Cataplasmate ad tumores, & in inflammationes curandas.

CATAPLASMA, SEU EMPLASTRUM  
Capitale.

R. *Furfuris torrefacti ℥ iij.*

*Farina fabarum ℥ jv.*

*Pulveris rosarum rubrarum,*

*Baccarum Myrti,*

*Florum Chamemeli,*

*Stæchados . . . . . ana ℥ ℞.*

*Schœnanthi,*

*Seminis Anisi,*

*Cariandri . . . . . ana ℥ iij.*

*Betonice,*

*Abinthii . . . . . ana ℥ j.*

*Calami aromatici officinarum ℥ vj.*

*Sape, aut Mellis colati ℥ ij.*

Vini optimi  $\zeta jv.$

Olei rosarum,

*Chamæmeli* . . . . . ana  $\zeta ij.$

Omnia exactè permista, supra ignem lentum, leviter ebulliant, & agitentur, addendo in fine

*Croci pulverisati*  $\zeta j.$

Misce, & fiat Cataplasma ad usum.

Discutit, roborat, dissolvit, ac in tumoribus, & contusionibus capitis prodest.

CATAPLASMA, SEU EMPLASTRUM NIDI

Hirundinis.

R... *Nidi hirundinis*  $\zeta jv.$

*Radicum liliorum alborum,*

*Althææ,*

*Bryonia recentium* ana  $\zeta ij.$

*Aquæ communis*  $\mathfrak{ss} jv.$

In quibus Nidum fac parùm ebullire, dein cola per fetaceum equinum, in colatura radices contusæ decoquantur ad mollitiem, tunc adde

*Foliorum Malvarum,*

*Violarum,*

*Parietariæ* . . . . . ana  $\zeta j.$

Bulliant tandem ad humiditatis ferè consumptionem; dein pistentur optimè, ut per cribrum equinum eorum pulpa trajiciatur, addendo in fine.

*Fermenti acerrimi,*

*Farinæ Seminis lini* . . . . . ana  $\zeta ij.$

*Axungie Porcinæ,*

*Olei Croci* . . . . . ana  $\zeta j \beta.$

Misce, & fiat cataplasma ad usum.

Adversus Anginam specificum est Medicamentum;

In defectu Nidi hirundinis, injiciatur

*pulveris Albi græci*  $\zeta j \beta.$

CATAPLASMA ANODINUM.

R... *Micæ Panis albi*  $\zeta jv.$

*Lactis*



*Lactis Caprini recenter emulsi* ℥j.

Coquantur igne lento ad pulmenti consistentiam, tunc extra ignem adde

*Olei Olivarum* ℥j.

*Pulveris croci* ℥j.

Misce optimè ad usum.

In podagra, & tumoribus dolorificis prodest.

**R... CATAPLASMA AD SINGULTUM.**

*Fermenti acerrimi* ℥ iij.

*Theriace magna* ℥ ℔.

*Pulveris baccarum juniperi,*

*Rosarum Rubrarum,*

*Mentha..... ana ℥ ij.*

*Caryophyllorum,*

*Nucis Moschatæ,*

*Macis..... ana ℥ j.*

Cum sufficienti aceti rosati quantitate fiat cataplasma ad usum.

In singultu, calidè stomacho, duobus linteis compressum, & sæpiùs applicatum, prodest.

Nota, quòd in officinis Cataplasmata non servantur, sed extemporaneè fiunt.

**C A P U T XXIX.**

**DE SINAPISMIS.**

**S**inapismus est Medicamentum ex acris simplicibus compositum, ruborem, ac ardorem cuti inducens, & cataplasmaticis formam habens.

**R... SINAPISMI DESCRIPTIO.**

*Seminis Sinapis contusi* ℥j.

*Allii* ℥ ℔.

*Pulveris euphorbii.* ℥ ij.

*Oxymellis Scillitici,**Fermenti acerrimi . . . . . ana ℥j.*

Omnia pistentur in massam , quæ parti calefaciendæ applicetur.

## CAPUT XXX.

## DE VESICATORIIS.

**V**esicatorium est medicamentum , quod externè impostum , cuticulam mortificat , & lymphæ intra cutim, & cuticulam collectæ , vesicula excitatur.

UNGUENTUM VESICATORIUM , SEU  
Epispasticum.

**R**... Unguenti pallidi ℥iij.  
*Cere Citrinæ* ℥β.  
*Pulveris Cantharidum* ℥jβ.  
*Piperis nigri, seu longi* ℥β.

*Misce S. A. & serva ad usum.*

Vesicas serositate plenas excitat , sale suo volatile acris humores crassos , & stagnatos in apoplexia, lethargo , paralyti dissolvit , attenuat , atque movet.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

**R**... *Cere Citrinæ,*  
*Colophoniæ,*  
*Terebinthine . . . . . ana* ℥ij.  
*Olei Euphorbiæ* ℥j.  
*Ignæ liquatis , addantur*  
*Pulveris Cantharidum* ℥iij.  
*Piperis nigri, seu longi* ℥j.

*Misce S. A. ad usum.*

Eisdem producit effectus , ac præcedens.

## CAPUT XXXI.

## DE CAUTERIIS.

**C**auterium est medicamentum, quod externè applicatum, cutim, & carnem in duram crustam, seu scaram exurit, & convertit.

**R**... LAPIS INFERNALIS, SEU LUNA CAUSTICA.

*Argenti Cupellati*

$\mathfrak{z}j.$

*Aque fortis, seu spiritus nitri*

$\mathfrak{z}ij.$

Omnia injiciantur in vase vitreo, ut argentum dissolvatur, tunc ad siccitatem evaporetur; dein lento igne in crucibulo fundatur, ut instar olei appareat, statim crucibulum ab igne separetur, & in conum fufforium effundatur, lapisque refrigeratus in vase clauso ad usum servetur.

*Hic Lapis causticus est.*

LAPIS CAUSTICUS, SEU SEPTICUS, SIVE RUPTORIUM commune.

**R**... *Calcis vivæ,*

*Cinerum Clavellatorum, seu salis tartari,*

*ex equalibus partibus nitri, & tartari*

*crudi facti..... ana ℥j.*

*Misceantur, & infundantur in*

*lixivii fortissimi*

$\mathfrak{lb}vj.$

Mistura hæc probè agitetur, ut partes activæ dissolvantur, dein filtretur, & liquor clarus evaporicetur ad siccitatem usque: ac ex massa relicta, formentur cauteria diversæ magnitudinis, quæ in vase benè clauso ad usum serventur.

Notandum, verò, quòd alia in officinis conficiuntur cauteria, ut *butyrum antimonii, Arsenicum sublimatum corrosivum, &c.* sed de hoc vide suo loco.

## P A R S T E R T I A .

## C A P U T I .

DE ROB, SEU SAPA, ET SUCCIS

*Inspissatis.*

**R**OB, vel Rohob, five Sapa, est fructuum maturorum succus cum, vel sine saccharo, aut melle permixtus, ad crassitudinem mellis liquidi inspissatus.

**R**... ROHOB, SEU SAPA UVARUM.

*Succi Uvarum albarum perfectè maturarum recenter expressi q. v.*

Coque igne lento in vase terreo vitreato, aut in B. M. spumam auferendo, donec mellis consistentiam habeat, postea cola, & ad usum serua.

Ad oris morbos confert: stypticitate quadam roborat, abstergit, & digerit, ac in Pharmacia quoque ad alios inferuit usus.

Simili parantur modo ex succis Rob

*Granorum Sambuci,*

*Ebulorum,*

*Rhamni Cathartici,*

*Cydoniorum, & similibus.*

**R**... ROB MORORUM, SEU DIAMORUM COMMUNE.

*Succi Mororum domesticarum*

*℞ iij.*

*Mellis optimi*

*℞ ij.*

Coquantur igne lento in vase figulino vitreato, & fiat Rob S. A. quod ad usum fervetur.

Ad gutturis, oris, linguæque inflammationes, & exco-riationes, gargarismatibus permixtum, prodest.

*Dosis*

*Dosis ab ℥ j ad ℥ ij.***R...** ROHOB MORORUM COMPOSITUM.*Succi Mororum domesticorum ℥ ij.**Morum Sylvestrium, seu rubi,**Mellis optimi . . . . . ana ℥ jv.*

Coquantur, & despumentur, igne lento, in vase fictili vitreato, ad consistentiam debitam, tunc cola, & usui serva.

Eadem, quod præcedens facultates obtinet.

*Dosis eadem est.***R...** ROB SAMBUCINUM.*Succi granorum maturorum Sambuci ℥ ij.**Sacchari, sive mellis ℥ j.*

Coquantur igne lento, & fiat Rohob S. A. ad usum servandum.

Ictericos, & hydropicos juvat; sudoresque potenter movet, ac in doloribus podagricis confert.

*Dosis ab ℥ j ad ℥ j.*

Eadem methodo fiunt Rohob

*Juniperinum,**Ebulinum,**Omphacinum,**& similia.*

Spissamentum est succus herbarum, radicum, seu fructuum maturorum recenter expressus, depuratus, & per decoctionem ad mellis spissitudinem redactus, quod, si in defectu succi ex decocto fiat, liquamentum dicitur.

**SUCCUS ABSINTHII INSPISSATUS, SEU SPISSAMENTUM Absinthii.****R...** *Foliorum, & summitatum Absinthii**Virentium**q. v.*

Contunde optimè in mortario marmoreo, dein ponantur in vase terreo vitreato, ut per horas octo digerantur, postea succus exprimatur, & per linteum coletur, qui igne lento clarificetur, diligenter despumando, & ad mellis spissioris consistentiam coctus ad usum reponatur.

Stomachum roborat, coctionem juvat, vomitum, & diarrhoeas sistit.

*Dosis à ʒ ʒ ad ʒ j.*

### SUCCUS PRUNORUM SYLVESTRIVM

Inspissatus.

**R**... *Prunorum Sylvestrium mundatorum q. v.*

Contunde in mortario lapideo, & post debitam digestionem succus exprimatur, & coletur, dein in vase figulino vitreato, ad mellis crassioris consistentiam decoquatur, ac usui fervetur. Spissamentum hoc vocatur: *Acacia nostratis Succus.*

Dysenteriam, diarrhoeam, ac ventris profluvia praesertim ferosa sistit.

*Dosis à ʒ j ad ʒ ij.*

### SUCCUS CARDUI BENEDICTI INSPISSATUS.

**R**... *Cardui benedicti recentis q. v.*

Contunde in mortario marmoreo, & post debitam digestionem succus exprimatur, & coletur, ac igne lento decoquatur ad spissioris mellis consistentiam, tandemque ad usum reponatur.

Anti-febrilis est, & sudorificus, vermes necat, humorum putrefactionem arcet, & pleuritico dolori confert.

*Dosis à ʒ ʒ ad ʒ j.*

Simili modo fiunt Succus inspissati

*Melissae,*

*Menthae,*

*Eupatorii,*

*& similia.*

### SUCCUS CYDONIORUM INSPISSATUS.

**R**... *Succi recentis Cydoniorum depurati q. v.*

Decoquatur igne lento in vase figulino vitreato, ad Mellis spissitudinem, postea ab igne separetur, & ad usum reponatur.

In diarrhoea, dysenteria, & aliis alvi fluxibus, à calidis, acerbisque humoribus concitatis valet, vomitum sistit, cholerae morbo etiam medetur.

*Dosis*

*Dosis ab ℥ ʒ ad ℥ j.*

Simili modo fiunt Succī inspissati

*Baccarum Myrti,  
granorum Sambuci.**Ebulorum,**Omphacii,**& similia.*

## C A P U T II.

## D E E X T R A C T I S .

**E**Xtractum nihil aliud est, quàm succi decocta, infusiones, & similia igne lento ad solidam consistentiam redacta.

**R**... EXTRACTUM BACCARUM JUNIPERI.*Baccarum Juniperi*

℥ jv.

*Contendantur, & biduo, vel triduo macerentur in**Aquæ ferventis*

℥ xij.

Bulliant igne lento per duas horas, postea exprime, liquorem per residentiam defœcatum per manicam transcola, dein igne levi vaporet ad extracti consistentiam.

Extractum hoc ab aliquibus *Theriaca Germanorum* vocatur.

Pro bezoardico, & anti-pestilentiali æstimatur, & ad frigidos ventriculi, uteri, ac intestinorum affectus valet; urinas, & calculos projicit, menstrua movet, stomachum roborat, & flatus dissipat.

*Dosis à ʒ j ad ʒ iij.*

Simili modo fiunt Extracta.

*Baccarum Sambuci,**Hederæ,**Ebuli,**Lauri,**& similia.*

**R**... **EXTRACTUM CENTAURII MINORIS.**  
*Summitatum Centaurii minoris* q. v.

Minutum incidantur, & mitte in vase terreo vitreato, seu æneo stannato, superaffunde.

*Vini albi* q. s.

Digere per dies tres in loco calido, bulliant per horas duas, in vase debite clauso, cola, & exprime: liquor in igne lento evaporetur ad extracti consistentiam.

Hoc extractum, liquamentum, seu *Mel centaurij* vocatur.

Externè in ulceribus sordidis, & putridis pro abstergente utitur, internè in febribus, menstruis suppressis, scorbuto, ac arthritide prodest, & lumbricos interimit.

*Dosis à ʒ j ad ʒ ij.*

Simili modo parantur Extracta

*Quinaquina,*

*Gialappæ,*

*Mechoacanna,*

*Cascarille,*

*China, &c.*

**R**... **EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI.**  
*Radicum hellebori nigri* lb j.

Contundantur, & in vas terreum vitreatum immittantur, affundendo.

*Aquæ ferventis* q. s.

*Spiritus vini* ʒ jv.

*Salis tartari* ʒ B.

Digere per duodecim horas, postea bulliant lento igne per horam in vase obturato, liquorem exprime, filtra, ac igne lento vaporet ad extracti consistentiam.

Confert in affectibus rebellibus, quartana, vertigine, & in morbis hypochondriacis, melancholicis, & maniacis.

*Dosis à gr. v ad xv cum aliis medicamentis mistum.*

Eodem modo fiunt Extracta

*Agarici,*



*Senne,*  
*Colocynthidis,*  
*Rhabarbari,*  
*Rhapontici,*  
*Tormentilla,*  
*Bistortæ,*  
*Gentianæ,*  
*Helenii, & similia.*

**R**... **EXTRACTUM GLYCYRRHISÆ.**  
*Radicum liquiritiæ recentium, vel siccarum rasarum,*  
*& minutim incisarum* q. v.

Infunde in sufficienti quantitate aquæ ferventis in vase terreo vitreato per biduum, dein coquantur igne lento per semihoram, cola, fortiter exprimendo, liquor per manicam filtretur, & evaporetur ad extracti solidi consistentiam.

Hoc extractum vulgari ter Succus inspissatus, seu liquamentum vocatur.

Dulcorat, emollit, ad thoracis affectus, & tussim catarrhalem confert.

*Dosis est ʒ j.*

Quæ ore excepta, & saliva soluta, paulatim deglutitur.

**R**... **EXTRACTUM FUMARLÆ.**  
*Herbæ fumaricæ* q. v.

*Contunde, & in*

*Aquæ communis* f. q.

Bulliat igne lento per horam, per manicam (post colaturam, & expressionem) filtretur, colatura, B. M. ad extracti crassitudinem inspissetur.

Ad sanguinem purificandum, scabiemque curandam commendatur: adhibetur quoque ad transpirationem promovendam.

*Dosis à ʒ ʒ ad ʒ j.*

Eodem modo fiunt Extracta

*Absinthii,*

*Cardui benedicti,*

*Cochlearia,*  
*Buglosi,*  
*Borraginis,*  
*Cichorii,*  
*Chamadrys,*  
*Lupulorum,*  
*Melissa,*  
*Scordii, & similibus.*

EXTRACTUM OPII, SEU LAUDANUM  
 simplex.

**R**... *Opii frustulatum dissecti* q. v.  
*Aque pluvialis ferventis* q. f.

Ad super eminentiam quatuor digitorum in vase terreo vitreato per viginti quatuor horas macerentur, dein leviter decoquantur, identidem agitando: liquor decantetur, & recenter aquam magmati superaffunde, idem repete, donec nulla succedat tinctura, omnes tincturas mistas filtra, & B. M. ad spissioris extracti consistentiam vaporent.

Ad mitigandos acutissimos corporis dolores, vigilias nimias cohibendas, fluxusque sistendos prodest.

*Dosis in adultis à gr. ß ad gr. j ß vel ij secundum infirmitatis exigentiam.*

**R**... LAUDANUM OPIATUM, SEU NEPENTHES.

*Extracti Opii* ℥ ij.  
*Croci* ℥ j.  
*Margaritarum,*  
*Hyacinthorum,*  
*Corallorum preparatorum ana* ℥ j ß.  
*Terre sigillatæ* ℥ j.  
*Lapidis bezoar occidentalis* ℥ jv.  
*Pulveris Unicornu, vel in ejus defectu*  
*Cornu Cervi crudi* ℥ ij.

Fiat omnium mistura ad usum Medicum servanda.

Virtute hypnotica anodinaque pollet, in vigiliis contumacibus, & deliriis cum, vel sine febre, in colicis doloribus, alvique fluxibus mire prodest.

*Dosis*

*Dosis à gr. j ad iij vel jv.*

Nota: non sunt præscribenda hypnotica, seu narcotica pleno, & nondum corpore evacuato, ne humores plus increascentur, & natura opprimatur: etiam abstinendum in debilibus, senibus, pueris, gravidis, aut saltem modicè, ac prudentissimè ipsis utendum.

LAUDANUM, SEU NEPENTHES CINNABARINUM.

R... *Extracti Opii, seu Laudani simplicis* ʒ vj.

*Croci subtiliter triti,*

*Cinnabaris nativæ præparatæ ana* ʒ iij.

Fiat ex arte mistura ad usum Me dicum.

Ad idem valet, sed efficacius creditur esse.

*Dosis eadem.*

R... LAUDANUM URINARIUM.

*Succi, seu liquamenti liquiritiæ* ʒ iij.

*Camporæ* ʒ ij.

*Croci optimi* ʒ ij & ʒ ij.

*Alkekengi,*

*Terebinthinæ Venetæ . . . . ana* ʒ j.

*Tragacanthi,*

*Mastiches . . . . . ana* ʒ j.

*Extracti Opii, seu Laudani opiati*

*simplicis* ʒ ʒ.

Liquamentum liquiritiæ in aqua alicacabi ad mellis spissitudinem dissolvatur, cui extractum Opii, & terebinthina exactè misceantur, cæteraque in pulverem tenuissimum redacta, ut fiat mistio pro usu servanda.

Renum obstructiones aperit, arenulas, & urinam pellit, ac dolori nephritico proficere creditur.

*Dosis à granis quatuor ad semis scrupulum.*

R... EXTRACTUM ALOES.

*Aloes Succotrine* q. v.

Dissolvatur lento igne in vase figulino vitreato, seu

B. M. in

*Aquæ communis*

q. f.

Di-

192 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.

Digeratur per horas sex, liquorem decanta, & cola, dein evaporetur ad extracti solidi consistentiam.

Nota, quòd si Aloes dissolutio in succo rosarum, vel in succo, seu decocto florum violarum fiat, *Aloe Rosata*, vel *Violata vocatur*, & indiscriminatim in Medicina utitur.

Putredini resistit; in ventriculi cruditatibus acidis, & viscidis convenit; & per se, vel mistum cum aliis pro scopo laxandi datur; & est basis pilularum laxantium, ac purgantium.

*Dosis à ʒʒ ad ʒj.*

EXTRACTUM CATHOLICUM, SEU  
Panchymagogum.

R... *Extracti Hellebori nigri,*

*Agarici . . . . . ana ʒj.*

*Colocynthis ʒvj.*

Liquentur, & misceantur cum sufficiente aquæ communis quantitate, hoc est uncia una (in qua salis nostri cathartici uncia semis sit soluta) ad mellis spissitudinem, tunc adde

*Pulveris Scammonii purissimi ʒj.*

*Extracti Aloes ʒij.*

Omnia perfectè mista, igne lento, ad pilularum consistentiam inspissentur, si opus fuerit.

Ad omnes expurgandos humores commendatur.

*Dosis à ʒʒ ad ʒj vel ad ʒʒ.*

C A P U T III.

DE MELLIBUS OFFICINALIBUS.

Mella officinalia sunt succi, infusiones, vel decocta melle confecta.

R... MEL DESPUMATUM.

*Mellis optimi ʒij.*

*Aquæ communis ʒjv.*

Bulliant

Bulliant simul igne lento, trajice per pannum, & serva.

**R...** OXYMEL SIMPLEX.

*Mellis optimi*

℥̄ jv.

*Aceti acerrimi*

℥̄ ij.

Omnia simul decoquantur in vase fictili vitreato, spumam auferendo ad fyrupi consistentiam, cola, & ad usum serva.

Humores crassos, ac pituitosos incidit, attenuat, atque abstergit, & ideò obstructions auferit, sputum movet, facilius ipsumque reddit.

*Dosis ab ℥̄ j ad ℥̄ iij.*

**R...** OXYMEL SCILLITICUM.

*Mellis optimi*

℥̄ jv.

*Aceti Scillitici*

℥̄ ij.

Decoquantur igne lento S. A. ad fyrupi consistentiam, cola, & ad usum serva.

Ad cerebri, pulmonis, ventriculi affectus pituitosos, & contumaces prodest, eoque utimur in epilepticorum insultibus, & ipso paroxyfmo; asthmaticis quoque plurimum confert, obstructionsque inveteratas referat, crassos humores potenter incidendo.

*Dosis ab ℥̄ β ad ℥̄ j.*

**R...** MEL ROSATUM PRO VULNERIBUS.

*Succi Rosarum Rubrarum,*

*Mellis optimi . . . . . ana ℥̄ ij.*

Coque S. A. ad fyrupi consistentiam dein cola, & serva.

Digestivum est, quapropter humores phlegmaticos, viscidosque in ulceribus contentos concoquit.

**R...** MEL PERSICUM.

*Succi, seu infusionis rosarum alexandrinarum ℥̄ iij.*

*Mellis optimi*

℥̄ ij.

Coquantur S. A. ad fyrupi consistentiam, coletur, & reponatur.

Ad alvum solvendam, clysteribus immistum, usurpatur.

*Dosis ab ℥̄ ij ad ℥̄ jv.*

## MEL MERCURIALE

R... *Succi Mercurialium depurati,*  
*Mellis optimi* . . . . . ana ℥ iij.  
 Coquantur S. A. ad debitam syrupi consistentiam, deinceps cola, & usui serva.  
 Temperat, humectat, abstergit, & alvum emollit, clysteribus permistum.

*Dosis ab ℥ j ad ℥ iij.*

## MEL VIOLARUM.

R... *Foliorum violarum recentium integrorum* ℥ j.  
*Aque calide* ℥ jv.  
 Macerentur per duodecim horas colentur, & exprimentur, expressioni adde  
*Mellis optimi* ℥ jv.  
 Coque, despumando ad syrupi consistentiam, cola, & usui serva.  
 Inditur potissimum enematibus, ubi febres cum alvi adstrictione, molestæ sunt.

*Dosis ab ℥ j ad ℥ ij.*

Nota, quod in defectu florum recentium, fit infusio cum unciis quatuor florum violarum siccarum.

Simili modo fiunt Mella

*Roris marini,*

*Rutæ,*

*Centaurij minoris,*

*& similia.*

## HYDROMEL VINOSUM.

R... *Mellis optimi* ℥ jv.  
*Aque pluvialis, seu fontane* ℥ xij.  
 Decoquantur simul igne lento in vase æneo benè stannato ad tertiæ partis consumptionem, vel donec ovum recens injectum non demergat, sed supernatet; inter coquendum verò, omnis spuma diligenter auferatur, dein hydromel coctum, & per subsidentiam depuratum, ac doliolo exceptum,  
 foliis